
M. G. Masius

de pallio Pauli.
2. Tim. IV. 13.
Ed. revisa.

Hafn., 1690. Ed. v.

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
1,-319 4° 1579



Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
1,-319 4° 1579


Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
1,-319 4° 1579



Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
1,-319 4° 1579



Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
1,-319 4° 1579



Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
1,-319 4° 1579

1,- 319.
DET KONGELIGE BIBLIOTEK
DA 1.-2.S 1 4°
1 1 01 0 4 01579 7
+REX
BIBLIOTHECA REGIA HAFNIENSIS

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
1,-319 4° 1579

DISPUTATIO
PHILOLOGICO-THEOLOGICA,
DE
PALLIO
PAULI,
ut vulgo vocatur,
Ex loco 2. ad Timotheum IV, 13.
Quam
SUB PRÆSIDIO
DN. HECTORIS GOTHOFREDI MASII,
SS. Theologiæ Doctoris, ejusdemque in Regia Academia Hafnienſi Profeſſoris P. & Collegii Conſiſtorialis Aſſeſſoris,
publicè tuebitur
GEORGIUS CHRISTIANUS BRÆMER,
Hafniâ-Danus,
Die 26. Januar. loco & hor. conſuet.
Denuo reviſa, aucta, emendata.
Acceſſit Præfatio defenſoria.

HAFNIÆ,
M. DC. LXXXX.

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
1,-319 4° 1579

APPROBATIO.

IN evolvendo hoc themate ſacro de *Pallio* vel *libro* Apoſtoli ita verſatus eſt Præſtantiſſimus Dn. BRÆMERUS, ut facilè conſtet ipſum non leviter volviſſe hactenus *librum ſacrum*, & hoc ipſo ſe dignum probaverit, qui *ſacrâ veſte* propediem induatur, ut, quod Chriſtianis olim ex gentiliſmo converſis in opprobrium dictum ſit, ipſi in honorem & gaudium rectè tunc acclamari poſſit: *De toga ad Pallium.*

J. BAGGERUS, D.

BIBLIOTHECA REGIA HAFNIENSIS

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
1,-319 4° 1579

Procemium.

Lector Benevole!

PLures effluxêre menſes, ex quo Eruditiſſimus Hollandiæ Vir, Dn. J. C. de la CROSSE, excerpta ex Diſſertatione, quam præ manibus habes, Tomo XI. Bibl. ſuæ Univerſalis inſereret, in multis hypotheſes noſtras improbans, atque diſſenſum ſuum indicans. Retulit id mihi non multo poſt Celeberrimus quidam in Patria Vir, ſed cum Bibliopolarum noſtrorum tanta ſit ſegnities, ut vix tandem elapſo anno ad nos ea perferantur, quæ jam toti orbi erudito innotuerunt factum eſt, ut ante aliquot demùm menſes cenſura Dni. de la CROSSE perlegenda mihi concederetur. Cum itaque jam in eo eſſem, ut denuo Diſputatiunculam hanc reviderem atq; corrigerem, animus mihi erat cenſuram viri hujus Celeberrimi pauliſper examinare, quinimo Apologiæ huic jam ultima manus erat impoſita, cum alia negotia, me neceſſaria magis curare, atque cœptam telam abrumpere juberent, unde planè mutare animum cogebar, nec cogebar tamen, cum lubens id fecerim, motus ſc. monitis Viri cujusdam, cujus conſilia negligere nefas ſemper mihi duxi; Juſtum ſiquidē eſt, ut inſignis utilitas, quam ex hiſce Actis, præprimis Bibliothecæ hujus haurit eruditus orbis, publicum nomen quo opus illud ſuſcipiunt, labor immenſus quo id perficiunt, authores ab omnium morſu ſiſtat immunes; ſiquidem maximè injurius in publicum foret, qui eos propter cenſuras eorum aggrediundo à tam utili labore vel minimùm diſtraheret. Accedebat quod Apologiam hanc plane non neceſſariam eſſe crediderim, omnia enim quæ

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
1,-319 4° 1579

in Diſſertatione hac Viro eruditiſſimo non arrident, aut ejusmodi ſunt, de quibus jam ſexcenties diſputatum eſt, aut talia, quæ accurata Diſputationis hujus perlectio facile diſſipabit. Ad illam claſſem pertinet tota illa controverſia de inſpiratione omnium rerum in Script. S. quam nos aſſerimus, author autem hujus Bibliothecæ negat, atque me, hac in re veſtigiis noſtratium inſiſtentem aculeatis exagitat verbis. (v. p. 80. ſeq.) Quinimo dicit me bonâ adeo fide adverſariorum verba referre, ut vel ſola hac recenſione lector in aſſenſum iis præbendum cogatur. Aſt Tuam fidem B. Lector! quid eſt credulum eſſe ſi hoc non eſt? ſane qui iſta Cenſoris verba legit, vel me non monente intelliget, illum nondum perlectis iſtis verbis, dudum authorũ iſtorum ſententiæ ſubſcripſiſſe, alias enim ſummum, quo pollet, judicium Viro huic Clariſſimo de facili ſuggeſſiſſet, & alteram partem eſſe audiendã, nec triumphum canendum ante victoriam. Dicit quidem, me ad omnia iſta argumenta adverſariorum nil repoſuiſſe niſi id, de quo controvertebatur, nempe univerſam ſcripturam eſſe inſpiratam. *On repond,* inquit, *à toutes ces objections, en ſuppoſant comme un principe indubitable, ce, qui eſt conteſté, ſçavoir que les Ecrivains ſacres n'ont pas ecrit moindre choſe d'eux mêmes &c.* Aſt antitheſis hæc mea eſt, non probatio, quin ſi probatio eſſet non abſurda tamen aut inepta foret, quidnî enim probare poſſem locum 2. Tim. IV, 13. eſſe inſpiratum, ideò quia nil in Scriptura S. legatur quod non ſit divinitus inſpiratum, quod ſane principium firmiſſimum atque indubium eſt, nec a quoquam adverſariorum hucusque ſolide refutatum. Simile de Copiiſtis illuſtrat rem non probat, nec eo fine a me adductum fuit (uti forſan putat Cenſor) quod facile intelliget, niſi quem omnes ſenſus deſtituunt. Ad fundamenta quæ ex Scriptura S. in medium

dium protuli, eruditiſſima quidem, ſed & nota dudũ reponit, & quidem ad 2. Tim. III, 16. excipit, vertendum eſſe dictum ita: *Omnis ſcriptura quæ inſpirata eſt eſt utilis*, &c. non vero: *Omnis ſcriptura eſt inſpirata, &c.* Eſt hæc eadem verſio, quam poſt magnũ Grotium, Criticorum non exiguus numerus approbavit, ingenioſam illam ſatis, dummodo textui Sacro conveniret; Obſtat ei ſiquidem, ut cœtera taceam, vis particulæ καὶ, πᾶσα γραφὴ θεόπνευστος ΚΑῚ ὀφέλιμος hæc enim utrumque verbum ὀφέλιμος & θεόπνευστος arctè connectit & utrumque de omni ſ. tota ſcriptura enunciari indicat, unde rectè Chryſoſtomus Homilia θ. ſive IX. in 2. Tim. IV. pag. 1679. ed. Baſil. hunc verſum explicans: *Omnis*, inquit, *Scriptura, ſcilicet de qua dixerat, quod ab infantia ſacras literas noſti, omnis ergò hujusmodi ſcriptura utilis & divinitus inſpirata eſt, nihil ergò dubites, &c.* Nimirum concedendum eſt Domino de la Crosse verbum ſubſtantivum ἐστὶ hîc ſubintelligendum eſſe, addat ergò illud aut ad verbum ὀφέλιμος, & hic evadet ſenſus: *Omnis ſcriptura inſpirata & utilis eſt*, aut ad verbum θεόπνευστος, & hic erit ſenſus *omnis ſcriptura eſt inſpirata & utilis*, Verborum ordo diverſus, ſenſus idem! eodem res recidit. Quamdiu itaque hocce dubium non ſolvit Cenſor, verſio noſtra culpari nequit. Legat interea B. L. quæ de eodem hoc dicto inter Dominum Rich: Simonium atque Anonymum quendam controverſa ſunt, conſulat præprimis Simonii Hiſtor. Critic. N. T. p. 276. & Reponſe à la defenſe de quelques Theol. c. X. p. 166. ſeqq. ubi plura huc facientia reperiet. Concedam denique (quod tamen ſalva veritate concedere nequeo) textum ita vertendum eſſe, quid inde? referatur verbum θεόπνευστος ad ſubjectum, ſenſus hic erit: *Omnis ſcriptura quæ inſpirata divinitus eſt eſt utilis*, iterum eodem res recedit, præſupponit enim

A 3 Paulus

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
1,-319 4° 1579

Paulus id quod nos ex hoc dicto probamus, nempe omnẽ ſcripturam eſſe inſpiratam, non enim ſolas prophetias ſcripturæ nomine hic intelligit, ſed univerſam ſcripturam, quam Timotheus ab infantia legerat, ubi præprimis illum hiſtoricos libros perlegiſſe, magis quam probabile eſt; quid enim me cogeret quò minus ſub voce γραφῆς etiam hiſtoricos intelligerem libros, quos Hebræi כתובים appellant, (conf. hic omnio Dn. Ligtfoot Tom. II. Op. p. 569. a.) Quocunque itaque ſe vertat Cenſor vim hujus dicti effugere nequit. Ad dictum 2. Petr. I, 20. 21. excipit pauca, aſt non minoris momenti, ſcilicet ſermonem hic tantum eſſe de Prophetis, quos divino ſpiritu fuiſſe afflatos Chriſtianorum nemo neget. Notes igitur velim B. L. Cenſorem non rectè (venia ejus hoc dixerim) ad Controverſiæ ſtatum attendiſſe, monui enim apertè §. V. Sect. III. potiſſimum rem mihi fore cum Calixtinis, qui omnes res in ſcriptura contentas Deo aſſiſtente ſcriptas concedunt, quin & ex hoc dicto probant, cum itaque illi non dubitent quin ſub prophetici ſermonis nomine tota ſcriptura intelligatur (unde & Calixtus hoc argumento ad probandum NB. univerſæ ſcripturæ claritatem ſæpius uſus eſt) contra eos hoc dictũ urgere potui. Attamen non puto tamen, omni vi, etiam contra cæteros authores, totius ſcripturæ θεοπνευςίαν probandi, hoc dictum deſtitui, niſi me omnis fallit conjectura. Quis enim negare poterit prophetæ nomen non ita ſtricte ſemper in ſcriptura accipi, ut nil niſi illum, qui futura prædicet ſignificet; quis ſibi perſuaderi patiatur filios v. g. prophêtarum 2. Reg. II, 3. vel natos vel diſcipulos prophetarum ſtricte ſic Dictorum & non potius Doctorum populi fuiſſe? (conſule Sviceri Theſaurum in voce προφήτης) Num quid totus Chorus 2. Sam. X, 5. futura prædixiſſe credendus eſt, & non potius Deum

citha-

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
1,-319 4° 1579

citharis laudaſſe & cantica atque doctrinas ad populum intermiſcuiſſe; unde & Chaldæus vertit משבחין *pſallentes.* conf. XIX, 24. 25. (lege plura apud Dn. Ligfoot OO. Tom. I. p. 919. b.) Conſideret quæſo cenſor an probabile ſit, omnes illos, quibus manus impoſuerunt Apoſtoli, vaticinatos eſſe, cum tamen de iis Act. xix, 6. dicatur illos prophetaſſe. Sic 1. Cor. XIV, 3. Prophetæ nomen & τὸ prophetare tribuitur Doctorib9 vel omniũ fere conſenſu. Cum itaque (plura enim adducere nolo) ex his pateat Prophetæ nomen adeo generale eſſe, ut præprimis in N. T. non rarò Doctoribus qui divina myſteria docebant, revelabant, aut inculcabant, tribuatur, facili conjectura B. Lector aſſequetur, argumentum Dni. de la Crosse quod a prophetarum nomine deſumit, plane nil concludere; Cum enim (uti vel pueris notum eſt) ſtylus N. T. Vet. Teſtamenti Phraſes imitetur, Hebræi autem libros hiſtoricos נביאים appellent, quidnî dicam Petrum per λόγον προφητικὸν etiam hiſtoricos intelligere libros. Summatim dixerim, quid poteſt eſſe clarius loco, huic noſtro in omnibus paralelo Rom. XVI, 26. ubi Paulus prædicat beneficium Dei, quod *hiſce temporibus* non ſolum myſterium a ſeculis velatum, prædicatum ſit ubique, ſed & διὰ γραφῶν προφητικῶν *nunc* omnibus gentibus detectum. Sane hic Paulus ſuas & cæterorum ἁγίων Θεοῦ ἀνθρώπων ſcripturas ſermonem propheticum appellat, quod non credo negare poſſe Dn. de la Crosse. Addam unicũ locum Rom. XII, 6. ubi Paulus προφητείαν conformem eſſe jubet analogiæ fidei; non igitur hic prophetiam ſtricte ſic dictam intelligit, quæ utpote à Deo immediate ſuggeſta (non negante Cenſore) falli eſt neſcia, atq; hinc nulla indiget regulâ; ſed potius doctrinam a quovis Doctore in Eccleſia prolatam. Poſſem non pauca addere ex ipſa συνάφεια textus depromta, ſed hæc ſufficiant. Aſt novam Objectionem! Dicit adduxiſſe me dictum Pſal. XLV, 2. ad probandam totius ſcripturæ S. inſpirationem, quæ probatio meæ ſit inventionis. Verum enim verò a Domino Calovio, Scherzero aliisq; Theologis, quos nominare ſuperſedeo hoc dictum adhiberi, vel omnibus notum eſt, quibus eorum Syſtemata ad manus ſunt, unde nec nova eſſet probatio, licet veritati novitas nil deroget. Id unicum adhuc monendum eſſe cenſorem credo, quod ſupra jam inculcavi, me potiſſimum contra Calixt. à Lapide &c. diſputare, atq; eò tantum tendere ut probem, phraſes, quib9 Spir. S. præſentem ſe fuiſſe ſacris Scriptoribus exprimit, tales eſſe, ut non ſimplicem aſſiſtentiam ſed magis quid dicant; quod etiam me ex hujus Pſ. XLV, 2.

phraſi

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
1,-319 4° 1579

phraſi recte concluſiſſe ſpero; inſulſiſſimus enim foret, qui ita colligeret, David ſe, vel linguam ſuam Spiritus S. dicit calamum, E. omnis ſcriptura eſt inſpirata, nugæ! Aſt properandum. Quæ itaque adhuc in Cenſura Dn. de la Crosse examinanda ſuperſunt, me tantùm feriunt, ſi feriunt modò; nam quod longo præfamine multisque eruditis exemplis mihi impingit crimen, ac ſi argumentis probabilibus thesin apodictice me demonſtraſſe crediderim, id ipſa Diſputationis inſpectio refutabit de facili. An adeo facilem crediderim ſolutionem dicti, 1. Cor. VII. de eo alii judicent, quibus cùm de hujus dicti ſolutione conſului, Erat aut: mens mea iſta; nempe poſſe aliquem ſcribere DEO inſpirante aliquid, quod tamen non DEUS præcipiat, ſed ſcriptor ſuadeat, ut itaque per τὸ *dicere* (*hoc non dicit Dominus*) nil niſi mandare intelligitur, atque hinc dicti illius ſenſus iſte ſit; ſcilicet ne credatis Corinthii conſilium meum (quod tamen non deſtitutus divina ope vobis do) in conſcientia vos obligare, aut peccati vos contra conſcientiam fieri reos, ſi conſilium meum negligatis, cum id non Dominus præcipiat cujus mandatum conſcientias veſtras obligat, ſed ego ſvadeam. Fateor tamen ingenuè nec difficultatibus hanc reſponſionem carere, unde & ſecurius crederem ſi inſiſteretur alteri reſponſioni ex Dno. Quenſtedio, quam ego tum quidem non adeo firmam credidi, nunc ictum utique ſuſtinere plane ſum perſuaſus. Cæterum quæ de Burmanni Exercitationibus dixit, lubens prætereo, ſit Zelus meus Lutheranus, certe κατ' ἐπίγνωσιν eſt; Nec eſt quod diffitear, ſæpius mollioribus verbis me adverſarios caſtigare potuiſſe, aſt ubi deſperatum malum eſt, quid ni ſeveriora adhibeantur medicamina? Sane niſi memor eſſem moniti Paulini 2. Tim. II, 24. 25. ſervum Domini debere eſſe placidum, & malo malum non eſſe reponendum, idem de cenſore dicerem, aculeata ejus verba, quibus theſin noſtratium carpit Zelo, Arminiano dicam an Calviniano, eſſe adſcribenda. Aſt manum de Tabula!

Hæc ſunt B.L. quæ præfaminis loco monere haud inutile credidi. Non is ſenſus meos faſtus occupavit, ut in Diſputatione hac nil humani me paſſum jactarem, id unicum ab æquitate Tua exſpecto beneficium ne forſan minus veritati des quam authoritati Cenſoris, quem eruditus orbis hucusq; merito pro magno ſui ornamento habuit. Si verò perlecta Diſſertatione hac falſi quicquam in ea deprehenderis fragilitati humanæ id condones obſecro. Ego interea uti plane non ſuccenſeo Celeberrimo Viro, quod erudito orbi judicium de theſibus meis expoſuerit, ita me potius propter cenſuram iſtam obligatum ei profiteor, quâ effectum eſt, ut Diſſertationem iſtam reviderem, denuo adverſariorum argumenta ponderarem, atque in orhodoxâ veritate fierem confirmatior. Rectè enim monente Auguſtino Lib. XVI. de C.D.c.II. *Multa ad fidem Catholicam pertinentia, dum hæreticorum callida inquietudine agitantur, ut adverſus eos defendi poſſint, & conſiderantur diligentius & intelliguntur clarius, & inſtantius prædicantur, & ab adverſario mota quæſtio diſcendi exiſtit occaſio.* Te Denique æternum numen precor, ut, cum noſtra præprimis ætate, conquiſitis undiq; machinis fidei noſtræ fundamentum evertere conentur quoque Reipubl. literariæ Atlantes, omnium tamen vere fidelium cordibus hancce inſcribas veritatem:

TOTA SCRIPTURA DIVINITUS INSPIRARATA EST, AMEN.

Properabam Lipſ. 1689.

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
1,-319 4° 1579

Lectori Benevolo
S. P. D.
H. G. MASIUS.

QVemadmodum herbæ etiam exiguæ & ſæpius neglectæ arcanâ ſanandi virtute pollent; ita docendi virtutem obtinent illæ etiam Scripturæ voces, qvæ obiter legentibus exiguæ parviqve momenti eſſe videntur. Ab ignaris rerum Botanicarum ſæpe pedibus conculcantur herbæ, qvæ capiti proſunt, quasque ſollicitâ manu *Medea* colligeret, balneo longævitatis inſerendas; & fieri facile poteſt, ut ſtyli Scripturæ imperiti ſterilitatis accuſent vocem, qvæ fœcunda doctrinæ ſemina ſpargit. Negligat verò Æſopi Gallus latentem in ſterqvilinio margaritam; qvi Scripturæ ſacræ profunditates rimantur in qvovis Scripturæ loco & in qvavis voce latitantem invenient veritatem. *Pauperis eſt numerare pecus*, inqvit ille; Sed ingenii pauperis & cognitione rerum Theologicarum deſtituti eſt, ſapientiam divinam vel in ulla Scripturæ voce, nedum phraſi deſiderare. Qvi ſterile judicat vel minimum Scripturæ vocabulum, næ ille ignorat divini eloqvii abundantes divitias.

Non defuêre qvidem & noſtro & ſuperibus ſeculis, qvi nonnullas Scripturæ phraſes ſimplicitatis reas agerent; alii etiam longius eoqve impietatis progreſſi ſunt, ut Scripturam in rebus *Phyſicis*, *Mathematicis*, *Chronologicis* cum vulgo

 erra-

errare contenderent; nihil qvicqvam veriti θεοπνευςίας præjudicium, modo Spiritum Sanctum ad captum vulgi ſeſe accommodaſſe dicerent, inani effugio, qvo ipſo erroris arguitur Spiritus Sanctus, dum aliorum errorem ſecutus eſſe perhibetur. Sunt illi Philoſophi in Scripturæ autoritatem injurii, qvi phœnomena phyſica vel Mathematica præpoſtero judicio divinæ veritati anteponunt. Nec minus hoc ſeculo reprehenſionem illi merentur, qvi omnia in Scripturis divinitus inſpirata eſſe negant: Solvere qvidem videtur illa hypotheſis difficultates plurimas hinc inde obortas; ſed enſe Alexandri ſecat potius nodum Gordium, qvàm ſolvit. Ut mirari ſatis neqveam Theologos qvosdam intra pomœria noſtra eandem voluiſſe adoptare hypotheſin, qvæ ſacri canonis autoritatem vel infringit, vel ſaltem dubiam incertamqve relinqvit. Nec ſatis illi certitudini Sacrarum literarum conſulunt, qvi ſingula verba divinitùs inſpirata negant, cum enim ſenſus Scripturæ à vocibus pendeat, ſi verbis deeſſet θεοπνευςία, ipſis qvoqve rebus deerit divina autoritas.

Ex eorum verò numero, qvæ divinitus dictata negantur, etiam *Pauli pallium* eſt, ſed immeritò; nam ſi vel maximè *pallium* vox græca ſignificaret, *palliando* tamen errori non ſufficeret. Sed nec pallium præcisè indigitari, gravis conjectura eſt. Qvibus illa rationibus innixa ſit, prolixè ſatis & eruditè expoſuit hujus diſſertationis Autor. Cum enim autor ſvaſorq; ei eſſem, ut de præſenti materia nonnihil conſignaret, arripuit conſilium, & qvo fertur in bonas literas ſtudio qvaqve diſcendi cupiditate, proprio Marte & opinione meâ citius exſecutus eſt. In eo autem qvam benè eleganterqve verſatus ſit, harum rerum periti, niſi fortè iniqvi Cenſores fuerint, facile exiſtimabunt. Illud perſvaſum

habeo,

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
1,-319 4° 1579

habeo, nec orthodoxiam in his pagellis, nec judicii mareritatem deſiderari. Qvam aliàs laudem mereantur Eximii Autoris ſtudia, qvibus tanta animi contentione qvotidiè incumbit, dicerem uberius, niſi me cognationis vinculum & domeſticæ fidei ſuſpicio revocaret. Nec v. alieno præconio indigent ſtudia, qvorum ipſe qvotidie & teſtis & præco eſt. Illud tamen citra panegyrin affirmare poſſum, eſſe hunc noſtrum eo ingenio, ea indole atqve induſtria, ut ad incrementa bonarum artium veræqvè Religionis commoda natus eſſe videatur. *Ubi autem ad naturam eximiam atque illuſtrem acceſſerit ratio qvædam confirmatioqve doctrinæ, tum illud neſcio qvid præclarum ac ſingulare ſolet exiſtere*, ſi Tullio credimus. Atqve hinc ſatis cauſæ mihi eſt, cur Reip. literariæ ſingularem operam, Eccleſiæ ornamentum, Parenti verò optimo ſeni provectæ ætatis ſolatium à filio pollicear, non vanus Augur futurus, ſi vitam illi DEUS viresqve animi & corporis porrò ſervârit incolumes. Eundem ſupplex veneror, ut labanti & tantùm non oppreſſæ religioni ejuſmodi ingenia plura ſufficiat, qvibus inniti orthodoxia & ab inſultibus hoſtium vindicari poſſit. Corruunt ubiqve Reip. Literariæ Atlantes, & qvi humeros iſti oneri pares ſpondeant, pauci omnino in noſtris ſeminariis reperiuntur. Minantur paſſim ruinam ſtudia, & qvi barbariem ſeculi redivivam timent non vano metu ducuntur. Non poteſt enim ille literarum contemptus, illa plurimorum deſidia, illa deniqve ſtudiorum egeſtas, niſi craſſam parere ignorantiam, & vix proſtratam barbariem poſtliminiò in orbem revocare. Sed de eo conqverantur alii, qvi literas amant, & communem ſortem bonarum artium deplorant; nos propior cura ſollicitat, qvi in foro Theologico eadem fata & indigna magis experimur. Fuit qvondam tempus, cùm optima qvæqve ingenia noſtris ſacris initia-

tiarentur, & è flore juventutis velut ex eqvo Trojano certatim confluerent, qvi Theologiæ operam, bona & fortunas conſecrarent; vix autem hodie niſi humili loco nati aut tardioris ingenii, ſaltem inopes & nervo rerum gerendarum deſtituti animum ad noſtra ſtudia applicant. Qvi ultra communem ſortem nati, vel bonis inſtructi, vel excitatæ mentis ardore inflammati ſunt, à ſacris qvidem muneribus plerumqve abhorrent, qvaſi nobiliſſimum illud ſanctiſſimumqve ſtudium indignum ſit nobili loco & ingeniis præſtantioribus. Sed manum de tabula. Sint hæc etiam Pallio involuta, ne adverſarii nuditatem noſtram cognoſcant. Ad noſtrum autem BRÆMERUM ut redeam, dum de Pallio Pauli agit, ipſe pallium vel togam candidam, ſaltem ſacram veſtem meretur. Augeat in ipſo DEUS χαρίσματα, & majoribus incrementis indies exornet, ut vas electum gratiæ DEI & utiliſſimum gloriæ ejus inſtrumentum evadat,

A M E N!

SECTIO

ב״ב

Sectio I.

PHILOLOGICA.

Notantur (1) Variæ lectiones (2) approbatur lectio τοῦ Φελόνου ſive Φαιλόνου (3) diſqviritur an voces hæ origine græcæ an latinæ? (4) an adjectivæ an ſubſtantivæ? (5) cujus deniqve generis ſint.

§. I.

Commentaturi qvædam in locum 2. Tim. IV. 13. potiſſimum occupabimur circa vocis Φελόνου explicationem, de qva Paulus Timotheum ſuum monet, ut eum veniens afferat. Verba textus hæc ſunt: Τὸν Φελόνην ὃν ἀπέλιπον ἐν Τρωάδι παρὰ Κάρπῳ ἐρχόμενος φέρε. Notamus hic ſtatim primo in limine, non exiguam occurrere difficultatem circa variantes lectiones vocis Φελόνου, ita enim diſcrepant exemplaria, ita variant, ut dubitem, an decem reperias exemplaria qvæ illam eodem modo proferunt. Notabimus breviter potiores lectiones. Itaqve (1) qvvd Φαιλόνην attinet, ita expreſſum reperimus vocabulum in vetuſtiſſimo exemplari, impreſſo ſecundùm manuſcriptum qvod habetur Pariſiis in bibliotheca Regia, anno 1550. Φαιλόνην qvoqve legi vult Bœclerus, in Novo Teſtamento edito Argentorati anno 1660. Eodem modo hanc vocem ſcriptam exhibet Nov. Teſtamentum Schmidii, qvod anno 1658. in lucem prodiit, licet in margine addat: *alii Φαιλόνην*. Eandem vocem habet Eraſmi exem-

plar

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
1,-319 4° 1579

plar infra citandum, uti & aliud ex officina Froſcher. Tiguri 1559. impreſſum. Plura exemplaria Φαιλόνην legentia non reperi. Sed major eſt eorum numerus, qvæ Φελόνην ſive Φελώνην legunt, inter qvæ non immeritò primum locum obtinet Nov. Teſt. vetuſtum, ex bibliotheca Regia Pariſiis editum, anno 1546. cui jungo editionem, Rob. Stephani 1568. adornatam. Eodem modo, licet factâ metatheſi literarum ο & ω, ſcriptum exſtat hoc vocabulum in alio exemplari, Pariſiis anno 1560. edito, & cùm calci ejusdem affixæ ſint variæ lectiones, qvas editor in manuſcriptis pluribus animadvertit, hæc omittitur. Editio Hiſpan. in Fol. Antvverpiæ A. 1571. impreſſa, eodem literarum ordine hanc vocem effert. Iterum legit Φελόνην Nov. Teſt. Syr. Græc. Latin. curâ Tremellii anno 1669. editum. Beza in N. T. qvod 1589. lucem conſpexit, eodem prorſus modo, vocabulum hoc legi voluit; cum qvo concordat exemplar Johannis Janſonii Anno 1639. Amſtelodami impreſſum; nec ab his diverſum eſt Nov. Teſt. Curcellæi, licèt in margine addatur; alii Φαιλόνην, alii Φαιλώνην, alii Φαινόλην. Eraſmus in exemplari (qvod inter prima eſt, qvæ cura Eraſmi cum diſtinctione in verſus & capita publicata ſunt, curâ Eraſmi dico, nam jam anno 1558. adornaverat Robertus Stephanus edit. talem in capita & verſus diſtinctam) edito Anno 1586. legi etiam vult τὸν Φελόνην. (Licet in Exemplari Ann. 1518. in Fol. Baſileæ edito legat τὸν Φαιλόνην.) Cum qvo conſentit Ariomontani N. T. Critica Magna Anglicana T. IV. ubivis legit τὸν Φελόνην. Plures adhuc ſunt hujus vocabuli lectiones, utpote Φενόλης, & qvod primo loco memorandum nobis erat Φαινόλης, item Φαινώλης, aut ſi qvæ forſan aliæ forent voces, qvæ hic unam alteramve literam inter ſe commutant, qvæ cum in pauciſſimis exemplaribus mihi viſæ ſint, illas annotare vix operæ pretium cenſui.

§. 2.

In tanta ſcriptionis diverſitate qvænam vox ſit retinenda, qvænam atro notanda calculo, ambiguum eſt, nullam ex his lectionibus eſſe authenticam nemo dixerit, niſi injurius ſimul eſſe velit in Scripturæ Sacræ integritatem, qvæ non ſolum in iis, qvæ fidei articulos concernunt, ſed in reliqvis etiam, ad minimum usqve jota integra & ſine menda eſt; Variantes ſiqvidem lectiones dubium qvidem lecto-

rem

rem reddunt, vocem autem ipſam, qvæ ita variè legitur periiſſe, non arguunt. Licet itaqve ignoremus qvænam vox in ipſo authentico reperta fuerit, hoc tamen certum planè eſt, unam ex his vocibus, qvas adhuc ſuperſtites codices exhibent, retinendam eſſe: Qvis enim (ut exemplo rem illuſtrem) negaret, inter illos clypeos, qvos Roma ad exemplar cœlitùs delapſi Ancilis fabricavit, ipſum clypeum ad quem cæteri formati erant, interfuiſſe? qvia propter eorum copiam non licuit conjicere qvisnam ἀρχέτυπος fuerit? Non permittet enim unqvam divina providentia, ut vel minimum ex epiſtola illa mortalibus miſſa pereat & plane intercidat; Egregium ſcilicet foret principium fidei, qvod immutare & planè corrumpere poſſet adultera qvævis manus. Qvamvis proinde dubium non ſit unam ex illis vocibus eſſe autenticam, incertum tamen manet, cuinam ex illis palma ſit deferenda, meo qvidem judicio lectio τοῦ Φαινόλου planè eſt reproba, contra τοῦ Φελόνου aut Φαιλόνου genuina. Plura ſiqvidem ſunt, qvæ conjecturam hanc plus qvam conjecturam eſſe mihi perſvadent. Non qvidem pertinaciter urgebo, qvod in plerisqve impreſſis exemplaribus Φελόνην aut Φαιλόνην legerim, notum ſiqvidem eſt, omnia ferme exemplaria, qvæ nunc habemus, nonniſi ad decem, plus minus, codices MStos eſſe impreſſa, uti recte obſervat P. Simonius Criticæ ſuæ Nov. Teſt. cap. XVIII. p. 215. Unde ridiculus ſanè eſt Sandius, qvi ut colorem figmento ſuo de ſuppoſitio verſu ſeptimo, 1. Joh. V. inducat magno apparatu innumera fermè citat exemplaria, ſed omnia impreſſa, atqve hinc merito cenſuram incurrit Simonii l. c. (licet, qvod una manu demit, altera liberaliter nimis largiatur, concedens verſum illum ſuppoſitum eſſe.) Longe itaqve fortius concluderem pro lectione Φελόνου &c. ſi auderem aſſerere, hanc vocem in vetuſtiſſimis MStis iisqve probatis reperiri; certe Eraſmus accuratiſſimus manuſcriptorum codicum ſcrutator, Beza, Curcellæus, omnes ferè accurati editores Nov. Teſt. prætuliſſe hanc lectionem cæteris videntur, qvam ego eo lubentius arribui, qvo propius ſententiæ atqve menti Apoſtoli accedere ejus expoſitionem credidi. Patrocinari qvoqve haud parum videtur huic lectioni verſio Syriaca, nam nullum dubium eſt qvin in codice ad qvem illa verſio adornata

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
1,-319 4° 1579

eſt lecta fuerit Φελόνȣ ſive Φαιλόνȣ vox (probabimus id Sectione II. §. 18.) en magnum ſanè pro ſententia noſtra teſtimonium! Ego qvidem illis calculũ meum non adjicio, qvi textum ipſum ex vetuſtis verſionibus in omnibus corrigi poſſe autumant (à qvo errore maximi hujus ſeculi Critici non ſunt immunes;) nam ſane non rarò rectam lineam ad curvam efformaret, qvi textum ad verſionem ſæpius mendoſam corrigeret; Attamen ubi variantes ſunt lectiones, ubi ambiguum qvam vocem divina divina manus conſacraverit, ſecure ad verſiones recurri poſſe certiſſime perſvaſum mihi habeo; Conſentit mecum hac in re Ambroſius (verius Hilarius Diaconus Romanus, non Arelutenſis aut Pictavienſis, uti credit Bellarminus de Script. Eccleſ. p. 76. edit. in 4to. Conf. Labbæi Biblioth. Tom. I. pag. 454. Cave Cartophyl. p. 66.) qvi Comment. in Rom. V. v. 14. cum variantes reperiret lectiones, eam amplexus eſt, qvæ cum antiqva latina verſione conveniebat. *Conſtat*, inqvit, *hoc* (ſcilicet ita legendum eſſe) *per qvosdam latinos de veteribus græcis olim translatos codicibus, qvos incorruptos ſimplicitas temporum ſervavit & ſervat.* Qvanto, itaqve vetuſtior qvin imò accuratior Syriaca latinâ verſione eſt, tantò major vis argumento noſtro accedit. Militat deniqve pro lectione hac, ipſe Hieronymus accuratus, ſi qvis unqvam, criticus, qviq; tanto animi fervore ad textum græcum provocare ſolet. *Si*, inqvit, *veritas eſt qværenda de pluribus, cur non ad græc. originẽ revertentes, ea, qvæ vel à vitioſis interpretibus male reddita, vel à præſumtoribus imperitis emendata perverſius, vel à librariis dormitantibus, aut addita ſunt, aut mutata, corrigimus.* Præfat. in In IV. Evangel. ad Damas. Hic inqvam cui vera lectio adeo curæ fuit, in qvæſtione ſecunda ad Damaſum Tom. III. p. 55. edit. Baſileenſis, Φαιλόνην legit. Nec Hieronymus tantum, ſed & Chryſoſtomus, Oecumenius, qvinimo omnes Patres Græci, qvi hujus vocis meminerunt. Loca infrà citabimus. Puto itaqve ex dictis clarum eſſe, lectionem Φελόνȣ aut Φαιλόνȣ eſſe approbandam (nam qvænam ex his alteri præferenda ſit nulla conjectura aſſeqvi poſſum.) Dicis; Unde igitur Φαινόλȣ vox in non paucis exemplaribus; Reſpondeo cum Origine Tom. XV. Comment. in Matth. Πολλή γέγονεν ἡ τῶν ἀντιγράφων διαφορὰ,

εἴτε

εἴτε ῥαθυμίας τινῶν γραφέων, εἴτε ἀπὸ τόλμης τινῶν μοχθηρᾶς τῆς διορθώσεως τῶν γραφομένων &c. Si verò conjecturæ hîc qvoqve locus dandus, putarem hunc errorem in qvosdam codices librariorum Latinorum culpa irrepſiſſe. Notum ſiqvidem eſt hunc morem obtinuiſſe in Eccleſia antiqva latina ut deſcriberent N.T. ita, ut ex altera parte exhiberetur Græcus textus, altera verò paginæ facies latinam ſiſteret verſionem. (Provoco enim ad exemplaria codicum MStorum vetuſtiſſimorum Cantabrigenſe, ejus altera pars habetur in Bibliotheca Regia Pariſ. item ad ſimile planè Bibliothecæ Benedictinorum. Vid. D. Simon. Critiqve du N. T. C. XXX.) Cum itaqve antiqva verſio latina φαιλόνην per pænulam verterit, qvid qvæſo erat facilius, qvam ut ſcriptor Græci textus, altero oculo ad latinam verſionem reſpiciens, juxta eam græcum textum corrumperet, & literas λ. & ν. transponeret? Non videbitur hoc mirum illi, qvi novit qvam miſere codices tempore præprimis Hieronymi fuerint depravati, non ſolum ex oſcitantia librariorum, ſed & eorundem malitia, uti ſæpius & tragicè ſatis ea de re conqveritur Hieronymus, maximè in præfat. ad IV. Evang. ad Damaſum, qvin imò teſtantur hoc adhuc vetuſta illa ſuperius allegata exemplaria, qvæ adeo corrupta ſunt, ut ipſe Beza in Epiſt. ad Acad. Cantabrig. codicem illum publicari vetuerit, ad evitandum ſcandalum. (conf. etiam epiſtolam Colomeſii ad Juſtellum, qvæ addita eſt Voſſii Appendici ad Pompon. Melan.) Cum itaqve tot tantisqve modis tum corruptus eſſet fons, qvidnî fâcile hic leviſſimus error in qvædam exemplaria irrepere potuiſſet, præprimis cum eundem non tam malitiæ, qvam negligentiæ atqve oſcitantiæ ſcriptorum, *qvi non qvod inveniunt; ſed qvod intelligunt, ſcribunt*, (juxta Hieronymum epiſt. 28. ad Lucin. T. I. Opp.) tribuendum credam. Sed conjecturæ hæ ſunt.

§. III.

Ad certiora progreſſuri, de origine vocum harum φαιλόνου φελόνου ut & φαινόλου pauca breviſſimis annotabimus. (de iis enim præſertim in ſectione hac conjunctim agemus) Non autem hic idem ſentiunt Philologi. Sunt, qvi eas ab Hebræo originem trahere autumant, inter qvos eſt Heinſius, qvi in Exercitationibus ſuis

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
1,-319 4° 1579

ſacris ad 2. Tim.IV. 13. p. 527. ita loqvitur: *B. Hieronymus ſecunda qvæſtione ad Damaſum, Volumen inqvit, replico Hebræum, qvod Paulus* Φαιλόνην *juxta qvosdam vocat*, annotat ad hæc Heinſius; *Fortè* Φελόνην, *ut à* פלני *deducatur* (*unde &* פלוני) *ab occultis ſcilicet qvæ inſcribuntur.* Acciperemus iſta libenter dummodo de veritate hujus conjecturæ perſvaſi eſſemus, probandum ſiqvidem adhuc incumbit Heinſio, ita ſacrum codicem unqvam appellatum fuiſſe, nam ſanè vix hac in re fidem habeo viro, cujus aliàs autoritas magno in pretio mihi eſt. Nec Hieronymum eam derivationem in animo habuiſſe probabile mihi videtur, niſi dicere velis, cum aperte hic hallucinatum eſſe, ſi enim Φαιλόνης ab occultando deducitur, qvo qvæſo jure veſtimentum poſſet ſignificare? qvod ſanè non occultatur, cum tamen hanc ſignificationem & Svidas & Etymologicum magnum voci huic tribuant (conf. dicenda §.18. Sect. II.) ſed plures adhuc & non infimæ autoritatis Critici originem omnium harum vocum à Latinorum pænula deducunt. Cui ſententiæ, uti ferè omnes Philologi, ita etiam ipſe Grotius ſuffragatur, Commentario ſuo ſuper poſterioris ad Tom. Epiſt. Cap.IV. ita ſcribens: *Vox Græca facta eſt ex Latina, idq; jam olim, cum & Rhetor Comicus Ptolomæorum temporibus eâ ſit uſus &c.* Addam alium adhuc magni nominis hominem, Bezam ſcil. qvi itidem in comment. ſuper eund. locum è Latio vocis originem derivat. Aſt & hæc ſententia mihi minùs arridet. Cauſſa eſt qvod vix probabile videatur; Græciam, qvæ veſtitum illum Pænulæ Romanis dedit, non ſimul nomen, qvo illud veſtimentum appellarent iis tradidiſſe, qvidni Latini pallii illud genus eorum appellarent lingva, qvibus ipſum hoc veſtimentum debebant? Qvænam nobis Gallia ſuppeditavit veſtimentorum genera antea nobis ignota? qvænam India aut Italia? qvorum nomina non ſimul noſtra civitate donata ſint? Exemplis qvotidianis hoc ſatis ſuperqve conſtat, ut in re planè aperta ulteriori probatione opus non ſit. Pænula à Lacedæmoniis inventa primum eſt, teſte Tertull. in Apologetico, *Ne* inqvit, *vel hyeme voluptas impudica frigeret*, (non uti Claudius Salmatius in notis ad Spartanum legit, *ceſſaret*. Vide Lacerdam loco mox citando.) *primi Lacedæmonii Pænulam in ludis*

exco-

excogitarunt. Item Nonius, citante Ludovico de la Cerda in Tertulliani Apol. Cap. VI. p. 73. *pænula eſt veſtis, qvam ſupra tunicam accipimus, à Laconibus reperta eſt, ne frigore contingerentur.* Hunc poſtea morem Græcia, ut & plura alia, Romam transmiſit, qvod conjicere licet ex Ælio Lamprididio in Commodo Antonino, qvi ita ſcribit: *Contra conſvetudinem pænulatos juſſit ſpectatores non togatos ad munus venire, qvod funeribus ſolebat, ipſe in pullis veſtimentis præſidens.* Similem locum ſuppeditat nobis Dio Libro LVII. *Ludis, cum plueret, nulla ipſe pænula indutus, effecit, ne qvis etiam aliam veſtem inconceſſam uſurparet.* Non deforent mihi plura hac de antiqvitatis teſtimonia ſi ea cumulare animus eſſet. Nec obſtat nobis locus Svidæ, ubi φαινόλην ῥωμαικὴν ςολὴν appellat, nam Romana dicitur hæc veſtis non origine ſed uſu, non qvod Romæ inventa, ſed qvod ejus uſus Romæ freqvens fuerit. Abſurdum igitur mihi videtur, veſtimenti genus Romanos à Græcis accepiſſe, & deinde nomen illi indidiſſe, imò ulterius Græcos nomen illud à Latinis mutuatos eſſe, qvô appellarent veſtimenti genus inter ipſos natum atqve inventum. Qvæ cauſæ etiam movêre Doctiſſ. & de re literaria optime meritum Salmaſium, ut in Commentario in Auguſtæ hiſtoriæ ſcriptores ita pro nobis ſcribat: *φελόνην recentiores Græci imò & vetuſtiores dixerunt, qvæ Latinis pænula eſt: detortum eſſe ex φαινόλης transpoſitis elementis qvidam arbitrantur, ſed non ita eſt, φελλόνης & inde φελόνης tunicæ genus Cretenſium eſſe vocem notatum inveni apud Heſychium* ἀμφινῶτες φελλόνας. Κρῆτες χιτῶνα φελλόνην καλοῦσιν. Apertum hic habemus Heſychii locum, ubi φελόνην Græcam vocem dicit. Cui ſententiæ etiam ſuffragatur Nobiliſſimus *Dn. Barth. Bartholinus in tractatu ſuo de pænula pag. 5. Nec minus peccant,* inqvit, *qvi Romano fonte φαινόλης vocem cadere dicunt, cum originem Græcam eſſe argumento ſit, qvod παρὰ τὸ φαίνεσθαι ὅλον dicatur. Ejus qvoqve citante Euripidis Scholiaſte in Oreſte mentio apud Sapphonem exſtet:*

Ἔσπερε πάντα φέρων ὅσα φαινολὶς ἐσκέδασ᾽ αὔως.

Eſt etiam Rhinthonis apud Pollucem locus. Καὶ αὐτὸς δὲ ὁ φαινόλης ἐςὶν ἐν Ῥίνθωνος Ἰφιγενείᾳ τῇ ἐν Ταύροις, ἐχούσῃ καινὸν

Φαινόλαν. *Qvod ſi qvis verò eam Latio infercire velit, riſumq; eruditis movere, pænulam dicat qvaſi pœnè nullam.* Et qvid multis? unus nobis ſufficiat teſtis *Athenæus, qvi Lib. III. Onomaſtic.* negat eſſe vocem Latinam.

§. IV.

Nec minus injurii in vocem noſtram Φαιλόνην ſive Φαινόλην ſunt, qvi eam ſubſtantivam eſſe autumant, non qvidem negamus ſubſtantivè hanc vocem uſurpatam eſſe, ſic enim & omnibus Philologis, & ipſi huic loco 2. Tim. IV. 13. ubi etiam ſubſtantivè ponitur contradiceremus, ſed hoc tantùm contendimus, idem fatum expertē eſſe hanc vocē, qvod plurimæ aliæ apud Græcos habuerunt, nempe ut ex adjectivis in nomina ſubſtantiva degenerarent. Non infreqvens hoc in lingva Græca eſſe oſtendit vocabulum πυῤῥὸς, qvod primo adjectivè ſumptum (πυῤῥὸς χιτὼν) poſtea abſolutè πυῤῥὸς vocabatur, poſſent addi plura alia exempla, qvæ brevitatis ſtudiô præterimus. Audiatur modò Dn. Salmaſius, qvi in Commentario in Aug. Hiſtoriæ Scriptores. Φαινόλης *dicitur*, inqvit, *nunqvam* Φαινόλη, *nam id Græcum non eſſet,* ὁ Φαινόλης *Adjectivum* τοῦ χιτῶνος, Φαινόλης χιθὼν *translucens & pellucida tunica, qvod poſtea in ſubſtantivum tranſiit, & abſolutè dictum eſt* ὁ Φαινόλης *pro illo genere veſtis &c. Videatur ipſe.* Sed Salmaſio de Φαινόλῃ ſermo eſt, cujus originem ἀπὸ τοῦ φαίνεσθαι ὅλον derivans vix dubium cuiqvam relinqvit, an hoc nomen adjectivum ſit, nec ne. Sed aliter ſe res habet cum τῷ Φελλόνῃ ſive Φαιλόνῃ ubi cuiqvam forſan naſci poſſet dubium, num etiam hoc adjectivū ſit, an verò uti ejus origo diverſa ab illa τοῦ Φαινόλου, ſic hæ binæ voces in eo qvoqve diſtingvantur, qvod hæc ſubſtantiva illa verô adjectiva ſit. Noſtra ſi deſideratur ἐπίκρισις apertum planè credimus atqve irrefragabile Φελλόνην derivari ἀπὸ τοῦ Φελλοῦ *pergamo*, ut ita dicatur Φελλόνης χιτὼν, veſtis ſive tunica pellicea. De Φαιλόνου autem voce, intricata magis res eſt. Reperimus qvidem vocem aliqvam τῷ Φελλῷ ferè ſynonymam nempe Φλοῖος, à qva primo intuitu non abſurde deduci vocem Φαιλόνου videtur: Attamen ingenuè fateor derivationem hanc planè eſſe inuſitatam, nam vix ac ne vix qvidem in omnibus

bus Lexicis talem derivationem reperies, ubi binis prioribus conſonis thematis e. gr. hic φλ interſeratur diphthongus ſeqvens, & οι in αι mutetur. Corruptam hinc mallem, qvam derivatam ἀπὸ τȣ̃ φλοίȣ hanc vocem dicere, integrum interea cuivis relinqvens aliunde hanc vocem derivandi, dummodo talem derivationem faciant, qvæ ſignificationi vocis ipſius non repugnet. Hoc interea manet indubium, à qvocunqve demum deducantur themate hæ voces, eas eſſe adjectivas, qvod & terminatio & continuus earum uſus comprobant.

§. V.

Statum hujus vocis poſtqvam conſideravimus, pauca qvoqve de ejus genere notanda erunt. Certum itaqve eſt & extra omnem dubitationem poſitum, eſſe generis maſculini, pro qva ſententia militant omnia hactenus viſa exemplaria Novi Teſtamenti, in nullo enim unqvam vidi τὴν φαιλόνην ſive φελόνην, ſed in omnibus τὸν φαιλόνην ſ. φελόνην. Comprobat hoc ſaniorum Philolog. ferè omniũ conſenſus. Non me latet dari in profanis ſcriptoribus qvædam exempla contraria e.gr. apud Rhintonem, Heſychium & in Etymologico magno, ſed cum ipſum autographum eorum nobis viſum non ſit, qvare ſtatim concluderemus illos hac in re diverſos fuiſſe à cœteris hujus lingvæ peritis? unde magis oſcitantiæ Typographorum, qvàm ignorantiæ authorum vitium illud imputandum eſt, qvod ſatis ſuperqve evicère paſſim Philologi, ut ſi hanc rem prolixè mihi hîc tractandam ſumerem, poſt Homerum Iliada ſcriberem. Audiamus ſupra laudatum Salmaſium, qvi citato in loco ita hac de re diſſerit: *Semper* ὁ φαιλόνης *dicitur, nunqvam* ἡ φαιλόνης, *nam id græcum non eſſet*, & mox; *apud Rhinthonem legendum*: ἔχȣσα καινὸν φαινόλην *non* καινὰν, *ut perperam habetur apud Heſychium & Pollucem, & in Etymologico magno* τὴν φαινόλαν ἀποδύσασθε, *malè hodiè legitur ibi* τὴν φαινόλαν, *fœmininum à* φαινόλης *non eſt* φαινόλη, *ſed* φαινολὶς, *ut* φαινολὶς ἄυως, *Sapphoni*. Idem etiam perplacet Doctiſſimo noſtro Bartholo Bartholino in tractatu de pænula pag. 6. Et ſanè exordinarium hoc eſſet exemplum, vocem ſubſtantivam, (uti ab adverſariis qvibusdam eſſe creditur) Græcam in ης terminatam,

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
1,-319 4° 1579

aut etiam adjectivam, (ſcil. tantùm, cum ſit generis communis) eſſe fœminini, qvod Grammaticis pariter ac Philologis ridiculum foret. Unde ſanè non leviter errant, qvi in nominativo pro Φαιλόνης aut etiã Φαινόλης legunt Φαιλόνη, nam id primò, judice Salmaſio, græcum non eſſet, ſecundo aliis erroribus anſam daret, ut hanc vocem non pro adjectiva ſed ſubſtantiva haberem, cùm adjectivum in η terminatum græca lingva ignoret, qvin imò genus immutarem, & fœmininam facerem vocem qvæ maſculina eſt, cum in η deſinentia ſubſtantiva fœminina ſint. Malo itaqve hunc errorem, qvem tamen non ſolum apud Bezam, ſed & noſtrum Calovium in Bibliis magnis illuſtratis deprehendi, oſcitantiæ magis Typographorum, tribuere, qvam id tantis viris vitio vertere. Hæc omnia qvæ hactenus dicta ſunt, tantùm eum in finem afferre placuit, ne prorſus ignari de qvalitatibus vocis noſtræ ſimus, ſed his jam breviter expeditis nos ad ipſam vocis explicationem vertimus. Sit ergò

SECTIO II.
HERMENEVTICA.

Ubi diverſæ explicationes hujus vocis exponuntur, & (1) verſiones Bibliorum, (2) Sententiæ Commentatorum, qvæ in tria genera dividi poſſunt, 1) eorum qvi putant hic deſignari veſtimenti genus, ubi iterum *alii* faciunt pro veſtitu ad arcendam pluviam aptato, ſive pænula Romanorm, *alii* pro toga conſulari, qvâ Pater Pauli donatus ſit, *alii* pro pallio Epiſcopali ſive cucullo. 2) Eorum, qvi vocem hanc explicant per thecam, qvâ recondebantur libri. 3) Eorum, qvi librum aliqvem κατ᾽ ἐξοχὴν dictum, ſive Vetus Teſt. hic deſignari volunt, qvæ ſententia 3) probabiliter aſſeritur 4) Teſtimoniis qvibusdam corroboratur.

§. I.

§. I.

IN verſionibus hujus vocis non tantam diverſitatem ac in lectionibus notavimus, ſiqvidem pleriqve vocem hanc à Pænula Rom. oriundam rati, vertêre per pallium ſive pænulam, hinc etiam in omnibus verſionibus Germanicis, certè iis, qvæ opera Lutheri prodiere, mihiqve viſæ ſunt leges: Den Mantel/ in Belgicis Bibliis, den Reiß-Mantel/ ſed additur in margine: *ſommige verſtaen daer doer en Koffer om Booken in te leggen.* Reſenius noſter in verſione Danica reddidit Vandre-Kiortel/ addens in margine: lidet Skrin. Vulgata verſio ubiqve reddit *pænulam*, cujus veſtigia premens Gallica, legit: *la manteline.* Aſt verſio Syriaca, qvæ præprimis ſententiæ noſtræ favet, Φελόνην expoſuit per ܒܝܬ ܟܬ̈ܒܐ.

§. II.

Verſionibus recitatis, ad Commentatores ſuper locum noſtrum, 2. Timoth. IV. 13. ordo nos vocat, & qvidem primâ claſſe recenſebimus eorum ſententiam, qvi Φελόνην & Φαινόλην confundentes utramqve exponunt de illo veſtium genere, cujus non infreqvens mentio fit apud profanos, Græcos pariter ac Latinos Auctores. Scilicet erat hæc veſtis, qvam pænulam Latini, Græci Φαινόλην appellabant, pallii genus cœteris ſuper injectum veſtimentis. Non hîc prolixi erimus in deſcribenda ejus forma, nec eam litem noſtram faciemus, an laxa fuerit & ſinuoſa, an ita confecta, ut corpus arctè preſſerit, hæc omnia ad Philologorum remittimus cenſuram, contenti hîc annotaſſe, tale fuiſſe veſtimentum qvod humeris injiciebatur, ad genua usqve ſe extendens. Ora illa, qvæ collum cingebat modicæ qvamvis latitudinis, tam laxè tamen patebat, ut in caput induci potuerit, qvod colligimus ex illo Pomponii in Penicea: *Pæuulam in caput induce ne te noſcat.* Qvi plura de forma & materia hujus pænulæ legere deſiderat, adeat ſupra laudatum *Barholinum, in peculiari tractatu de Pænula, Salmaſii Commentarium in hiſtoriæ Auguſtæ Scriptores, item Annotationes ejusdem ſuper Tertullianum de Pallio paſſim, Johaonis Baptiſtæ Donii diſſertationem de pænula. Bayſium de re veſtiaria, & plures alios.*

§. III.

Erat autem duplex hujus pænulæ uſus, primus atqve maximè freqvens apud Græcos pariter ac Romanos fuit, ut ea uterentur ad arcendam pluviam, atqve hinc vix iter unqvam ingrediebantur niſi hac veſte tecti, qvæ utpote ex corio confecta depellendis pluviis imprimis apta erat, qvo etiam reſpiciens Martialis in Epigrammate, cujus Lemma *pænula ſcortea*, viatori auctor eſt, ne unqvam hanc omittat iter facturus:

Ingrediare viam cœlo licet usqve ſereno,
Ad ſubitas nunqvam ſcortea deſit aqvas.

Atqve is uſus pænularum longo tempore obtinuit, unde illud Galbæ apud Macrobium & Qvintilianum lib. VI. c. 4. reſpondentis amico pænulam roganti, *non pluit, minimè eges, ſi plueret ipſe uterer.* Unde facilè videtur, uſum pænulæ tunc temporis nullum fuiſſe alium, niſi ut in itineribus ſe à pluviis defenderent, qvod etiam videre licet ex Cicerone, at Atticum XIII. Epiſt 33. conf. Qvintil Inſtit. Orat. VI. & Senecam Epiſt. LXXXVII. Sed qvid multis? audiamus ſæpius jam laudatum Bartholinum, qvi pag. 35. cap. VI. ita ait: *Pænulæ uſum nemo adhuc in dubium vocavit. Nec qvenqvam tam exhauſti pudoris eſſe crediderim, ut neglectâ antiqvitate, qvæ nobis in hiſce rebus præit, ſuo abuudare velit ingenio &c.* Cui plura de hoc uſu pænulæ legere volupe eſt, conſulat *Lampridium in Severo.* Et poſt authores ſupra citatos, Commentatores ferè omnes in Tertulliani Apol. C. VI. & loca mox citanda, ut & omnes illos, qvi de veſtitu veterum qvædam conſignarunt. Nobis hîc multum extra oleas vagari nec lubet nec licet.

§. IV.

Fuit autem & alius hujus pænulæ uſus, qvi notantibus Philologis & antiqvitatis Studioſis, non multum ante Alexandri Severi tempora receptus eſt, hic enim (ut auctor eſt Æmilius Lampridius) conſtituit, ut ſenes pænulis intra urbem frigoris causâ uterentur. Atqve ita veſtimentum, qvod antea ad ſola itinera erat adſtrictum, intra urbis pomœria ad arcendum frigus accommodari cœpit, obtinuit hic mos

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
1,-319 4° 1579

mos qvidem ante illud AlexandriSeveri edictum, & pænulis jam tum, licet rarius, in ipſa urbe utebantur. Erant autem hæ pænulæ ex diverſa ab illis materia confectæ, utpote qvæ non ex corio, ſed ex lana contexebantur, putat tamen Salmaſius in notis ſæpius citatis ſuper Auguſtæ Hiſtoriæ Scriptores, honeſtiores Romanos vix pænulis intra urbem eſſe uſos, ſed potius Lacernis, pænulas autem non niſi in itineribus & extra urbem ſumpſiſſe.

§. V.

Sed ut tandem è bivio in viam redeamus, hæc fuit illa pænula, qvam Apoſtolum ſibi apportari velle magna commentatorum nubes vult; Et ſanè ſi qvæ ſententia veri ſpeciem habet, hæc erit, urgent enim, qvi pro ea pugnant uſum vocis φαινόλȣ communem & perpetuum, φαιλόνȣ qvoqve & φελόνȣ ſignificatione huic expoſitioni non reclamare aſſerunt. Putant pallio ſuo indigere Apoſtolum inſtante hyeme, qvod Troade mediâ æſtate reliqverat. Ex Patribus plures hic nominare poſſemus cum vix qvisqvam eorum ſit, qvi non φαιλόνην NB. *etiam* de pallio exponat, ſed præterimus eos libenter nominantes tantum Tertullianum, hic enim Libro XV. qvi eſt de corona militis Tom.I. Op Cap.VIII. §.2. p. 673. edit. Lacerdæ, *habebat*, inqvit, *& pænulam Paulus*, procul dubio ad loc. 2 Tim. IV. reſpiciens, Idem Tom.I. Opp Lib.VI. ſive de oratione Cap.XII. p.316. impugnans eos, qvi oraturi pænulas deponebant, ita loqvitur: *Ut eſt qvorundam, poſitis penulis orationem facere, ſic enim adeunt ad idola nationes. Qvod utiqve, ſi fieri oportet, Apoſtoli qvi de habitu orandi docent, comprehendiſſent, niſi ſi qvi putant Paulum penulam ſuam in oratione penes Carpum reliqviſſe; DEUS ſcilicet non audiat penulatos &c.* Inter Recentiores verô Beza, in Commentario ſuper 2. Tim. IV. acriter pro eadem pugnat, lubet hic ejus vera adſcribere: *Volunt qvidam* φελόνην *non eſſe pænulam, ſed ſcriniolum, qvam explicationem ſeqvutus eſt Syrus interpres, qvidam verò volumen. Ego non modò exiſtimo pænulam eſſe, qva iter facientes & pluviæ tempore utebantur veteres, ſed etiam* φελόνην *Romanum eſſe vocabulum metatheſi literarum corruptum, adeò qvidem ut etiam* φαινόλης, *& qvidem rectius ſcribatur.* Hucusqve Beza: cui in omnibus ſuffragatur

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
1,-319 4° 1579

tur Hieronymus Sopranes in digreſſione prima de re veſtiaria antiqvorum Judæorum pag. 458. qvi cæteras opiniones præter hanc, ut abſurdas, detortas, & textui non convenientes ridet. Sed ſi liceret, auctoritates auctoritatibus opponere, & plures & probatiores pro nobis ſtare facili opera demonſtrare poſſemus. At enim verò rationibus hic pugnandũ eſt. Videamus itaqve qvid hujus ſententiæ Patroni contra nos urgeant. Sanè primum apud eos occupat locum argumentum, ab ipſa vocis ſignificatione ferè perpetuâ deſumtum. Nam cùm Φαινόλȣ & Φαιλόνȣ aut Φελόνȣ voces invicem confundant, & pro iisdem habeant, Φαινόλης autem *pallium* ſemper (qvantum ego qvidem ſcio) ſignificet, non poterit non hoc nobis objici dubium, qvod tamen facili ſolvitur negotio. Negamus enim & pernegamus 1) vocem Φαινόλȣ eſſe authenticam, probet contrariam qvi qvicqvam contra nos obtinere vult, nego 2) voces haſce eſſe easdem, legant dicenda §. 18. hunc interea nodum iis ſolvendum trado: ſi Φενόλης & Φαιλόνης coincidunt, dent qvæſo derivationem aliqvam, qvæ ſignificationi illi, qvam Φαιλόνῃ tribuunt authores infra citandi; conveniat? Ediſſerant qvo jure Φαινόλης ſignificet εἴλητον τομάριον μεμβράινον, aut enim negent neceſſe eſt Φαιλόνην ſignificare *thecam librariam*, aut concedant Φαινόλην id qvoqve ſignificare, prius autem eſſet contra authores probatiſſimos, poſterius derivationem vocis Φαινόλȣ abſurdam redderet. *Dicis*; Aſt concedam has voces non eſſe easdem, negari tamen neqvit Φαιλόνην ſive Φελόνην qvoqve ſignificare *pallium*. Reſp. qvid inde? id nemo negat, de eo vero diſqviritur, an hoc loco per *pallium* ſin exponendæ hæ voces. Qvis enim feret ita colligentem: Φαιλόνης & Φελόνης aliqvando ſignificant *pallium*, E. hoc in loco hæc vox eodẽ modo eſt exponenda. Nam ubi una vox binas admittit *ſignificationes* æq; freqventes, illa demũ eligenda eſt, qvã συνάφεια textus eligendã ſvadet. Nec hoc prætereundũ eſt, dubium adhuc eſſe an Φαιλόνης ſæpius *pallium* an freqventius *thecam librariam* ſignificet, poſterius ſane facilius qvam prius ſibi perſvadebit, qvi æqvo animo perpendet, qvæ §. 18. à nobis prolixè dicentur. *Inſtas*; at pro *pallii* explicatione militant omnes verſiones, ſi unam excipias Syriacam. *Regero* verbis

bis Auguſtini Epiſt. ad Hieronym. qvæ eſt XIX. Tom. II. f. 14. *Alios* (ſubſtituo, Verſiones) *ita lege ut qvantalibet ſanctitate doctrinaqve præpolleant* (earum authores) *non ideo verum putem, qvia ipſi* (ipſæ) *ita cenſuerunt, ſed qvia mihi vel per ipſos authores Canonicos, vel probabili ratione qvod à vero non abhorreat, perſvadere potuerint.* Verſiones, ut verbo rem expediam, nil veritati præjudicant. Qvinimo vulgatæ (qvam poſtea hac in re plures modernæ ſecutæ ſunt) præponenda longe eſt Syriaca verſio, ut ita nil planè obtineant adverſæ ſententiæ Patroni. Superſunt deniqve nobis qvoqve rationes non plane improbabiles, qvare hanc ſententiam & explicationem loci noſtri rejiciamus. Nam 1) indignum illud ſanè putamus Apoſtolo, qvi noverat Chriſti præceptum: *Ne ſitis ſolliciti de veſtitu* &c. qvid autem hoc aliud eſſet qvam nimis eſſe ſollicitum de veſtitu, ubi tam anxiè illum ſibi apportari deſiderat? Numqvid putas propterea Apoſtolum feſtinationem Timotheo injungere, ut ſibi copia fiat vilis cujusdam pænulæ, & qvæ, neſcio qvam exiguo pretiô, de novo comparari poterat? Dicis Chriſtus Matth. VI. v. 25. ſeq. non vetat curam veſtium licitam, ſed talem qvæ curæ de ſalute æterna præponitur, conferatur verſus 33. Reſp: Indignum tamen adhuc mihi videtur Apoſtolo, tantam curam pallii ſui demandare Timotheo, qvantam librorum, qvorum eodem verſu meminit, τὴν φαιλόνην, inqvit, ὃν ἀπέλιπον ἐν Τρωάδι, παρὰ Κάρπῳ ἐρχόμενος φέρε, καὶ τὰ βιβλία, μάλιστα δὲ τὰς μεμβράνας, conjungit libros procul dubio ſacros cum φελόνῃ ſuo, ſed qvid pallium inter libros ſacros & membranas forſan MStas Pauli? vix meliori loco, qvàm Turca leproſus inter Principes ſanos. Sed premam evs fortius. (2) Talem φελόνην intelligit Paulus, qvem iter facturi relinqvimus, at pallium aut Romanorum pænulam non relinqvimus iter facturi, Ergò eam non intelligit Paulus. Erat ſiqvidem uſus Pænularum tunc temporis vix alius (ut in antecedentibus evictum) qvam in itinere, & hanc ſemper ad manus ſibi habebant iter facturi, qvid igitur cauſæ putas ſubfuiſſe, qvare Apoſtolus, qvi iter 183. milliarium meditabatur, (tot enim milliaribus Romam Troade abfuiſſe tradunt Geographi) eam reliqverit? Ridiculum ſanè eſt, Apoſtolum omiſiſſe pænulam tunc temporis, ubi ejus

uſus erat maximè neceſſarius, & confecto itinere eam repetere. Sed excipies: Erat tunc temporis æſtas, ubi multis onerari veſtimentis moleſtum eſt. Paulus igitur utpote qvi procul dubio pedes iter faciebat, ea moleſtia ſe liberaturus pænulam Troade reliqvit, repetendam ubi hyemis vis inſtabat. At enim verò teſtis ſit hodierna experientia, num qvis vel mediâ æſtate iter faciens pallium omittat? non eadem ſemper cœli ſerenitas, & tum maximè timendus eſt, imber & aëris mutatio, ubi intentiſſimo fervore æſtuat. Qvin imô ſi non imber certe frigus timendum erat? adeamus illos, qvi orientales mundi plagas obierunt, unanimiter qvippe ſtatuunt, ſimul cum veſpera in illis Regionibus tantum ingruere frigus, ut ab ejus vehementia vix ſub pallio tutus eſſe poſſis, id qvod ipſi, licet non tantâ vi, in his Regionibus experimur. Numqvid igitur Apoſtolus, ne æſtus ei moleſtus ſit, frigere voluit? num ſe imbribus exponere, ut aliqvando ab æſtatis vehementia tutus eſſet? haud credibile eſt, Paulum fuiſſe immemorem illius Martialis jam citati:

Ingrediare viam cœlo licet usqve ſereno,
Ad ſubitas nunqvam ſcortea deſit aqvas.

Nec eſt qvod cum Lorino hic ſentias, qvi in Commentario ſuo in Actor. XX. 13. pag. 594. propterea Paulum pallium ſuum Troade reliqviſſe putat, ut eò expeditior ad pedeſtre iter eſſet, verba ejus hæc ſunt: *Non eſt dubium, qvin qvibus aliarum rerum magis neceſſariarum interdictus eſt uſus à Chriſto, cum eos prædicatum miſit, multo ſit prohibitum magis jumento vehi.* Et mox: *Idcircò fortaſſe Paulus reliqvit Troade libros, membranas* & pænulam: *Cui enim ſunt pauca, qvæ circumferat, onus ferre pedeſtris itineris facilius valet.* Scilicet Jeſuita, ut Ordini ſuo & ejus inſtitutis majorem conciliet ſanctitatem, Paulum in itinere pænula exuit, ſomniat enim Apoſtolis in præceptis fuiſſe, ut ſemper pedites incederent, & non niſi in ſtatu neceſſitatis curru, navi, aut eqvo veherentur, qvia id Jeſuitis impoſuit ordinis hujus author. Prodit hoc ipſe Lorinus, ſuoqve perit indicio *in regula*, inqviens: *B. Franciſci, qvæ Apoſtolicum vivendi modum exactius exprimit, cavetur ſub graviſſimis pœnis, ne qvis obeqvitet, niſi gravis cogat neceſſitas, aut valetudo. Idipſum NB. ſocietatis noſtræ*

homi-

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
1,-319 4° 1579

hominibus, qvi Apoſtolorum ritu obeunt Provincias, graviter ac ſerio commendat Canon qvidam III. adhibita cautione neceſſitatis &c. Sed dicat Lorinus; numqvid igitur & hoc Apoſtolis mandatum ſit, ut ſe frigeri & pluviæ exponerent? ſi Paulo omne id omittendum fuiſſet, qvod impedimento ei eſſe poſſet, qvidni togam ipſam relinqveret? Sed hæc forſan negaret Jeſuita, qvia inter ſtatuta ſui ordinis id non reperit. Videat autem annon injurius ſit in JESUM, cujus tamen nomine falſo ſuperbit, dum eqvo aut alio animali vehi, ſi non indignum Sacerdote aut Clerico, certè non ita ſanctum eſſe putat, qvam peditem incedere, & dicat qvæſo, qvare ergo Apoſtolus Timotheo imperet, ut pallium ſecum ſumat, & qvare voluerit Epiſcopum in id incurrere vitium, qvod ipſe nolebat committere? ſi enim illicitum eſt curru aut eqvo vehi, qvare Apoſtolus (dum plura afferenda vult) id Timotheo imponit? niſi fortè dicat cum Jacobo Fabro Stapulenſi: (ſed ſatis ridicule) *Arbitror eam penulam, qvam Beatus reqvirebat Apoſtolus è levioribus fuiſſe*, (dixerat ſiqvidem antea fuiſſe graves leveſqve penulas) *qvæ Timotheo venienti cum membrana, magnum non attuliſſet ex pondere faſtidium.* Si enim fuit ex levioribus qvidni eam ipſe Paulus ſecum ſumſit, qvare eum Troade reliqvit? (3) Dicant mihi qvi pro pallio pugnant; in qvem uſum Paulus illud petat, nam aut petebat ut eo in itinere uteretur, aut in urbe eo tectus incederet, aut à frigore ſe muniret, non *primum*, Majori enim de jure de pænula hic qværere poſſum, qvod de libris qværit Chryſoſtomus Homil. X. ad epiſtolam poſteriorem ad Timotheum Cap. IV. pag. 1010. edit. Baſileenſis. Oecumenius Comment in locum noſtrum pag. 280. edit. Morelli &c. *Sed qvid pænula opus cum brevi ad DEUM erat migraturus?* jam enim omnem peregrinandi ſpem depoſuerat, ſcripſerat hanc epiſtolam teſtamenti inſtar 2.Timoth.II.9. I. 8. cùm inſtaret beatæ *ἀναλύσεως* hora Cap.IV. 6. cùm jam non ſolùm immolandus eſſet, ſed immolaretur, verſu eodem, & breviter dixerim, cum in eo eſſet ut moreretur, qvid igitur pænula indigebat? aliud meditabatur iter, ubi nulla hyemis vis timenda, in qvo non erat pænula opus, ut à pluviarum & hyemis injuriis ſecurus eſſet, inſtabat vitæ & ſimul itineris finis, cùm igitur tempus immineret,

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
1,-319 4° 1579

ret, ut ſtatum viatorum relinqveret, num putas de viatorum veſtitu fuiſſe ſollicitum? ambiebat cœli Candidatus candidam gloriæ ſtolam, hanc ut adipiſceretur, cum Elia illa abjicienda erat. Eo annitebatur, ut ita tabernaculum Kedar relinqveret, ne coram ſummo Judice palleret, in qvem uſum igitur pallium petit? Indigna ſane illa vox: *(affer mihi pallium,)* qvæ pars ſit teſtamenti Apoſtolici. Nec *ſecundum*, nugatur enim Cajetanus in Commentario ſuper 2. Tim. IV. dum putat propterea Apoſtolum pallium ſuũ petere, ut eo uteretur iter per urbem facturus, in illo enim detinebatur carcere Apoſtolo, ex qvo non niſi morte ſe liberandum eſſe noverat, ſanè diligentiſſimâ cuſtodia Chriſtianos ab Imperatoribus ethnicis aſſervatos eſſe hiſtoria Eccleſiaſtica tradit. Unde probandum prius eſt Cajetano, adeò benigne Paulum eſſe tractatum, ut per urbem obambulare ei licuerit, non id ex hac falſa hypotheſi eſt inferendum, uti p.151. loc. cit. facit: *Apparet*, inqvit (unde qvæſo?) *Paulũ non ſic arctatum fuiſſe carcere, ut non graderetur per civitatem.* Melius longe, Eraſmus in Paraphraſi ad 2. Timoth. IV. p.m. 315. rationem redditurus cur adeò feſtinare velit Timotheum Apoſtolus, *Carcer enim*, inqvit, *obſtat qvo minus liceat huc & illuc obambulare, in obeundis Evangelii negotiis &c.* cum qvo ſane omnes ferè Patres concordant, præprimis Chryſoſtomus, qvi non aliam poteſt invenire rationem, cur Apoſtolus Timotheum ſuæ Eccleſiæ, cui erat præfectus, qvaſi eripiat, niſi, qvia ipſi carceri incluſo non permittebatur Evangelium per Urbem prædicare, & Chriſtianos ſub perſecutione Neroniana gementes conſolari atqve in fide confirmare. Sed ut ſuo telo Cajetanus pereat, argumentum κατ' ἄθρωπον faciamus ad demonſtrandum, hic in loco noſtro per φελόνην non intelligi pallium. Si enim Apoſtolus in ipſa urbe Roma pallio non poterat carere, qvomodo potuiſſet illud omittere, tam longinqvum iter Troade Romam ingreſſurus. Nec *tertium*, numqvit enim ad vitandum frigus pallium ſibi Troade apportari curaret? ſanè non crediderim adeò pretioſam fuiſſe hanc pænulam, qvæ mereretur à loco ferè 200. milliaribus Româ diſſito advehi. Pauper erat Apoſtolus, & proinde proculdubio vile ejus pallium, numqvid igitur rem nullius pretii tantâ curâ Romam vehi deſideraret? Si fri-

gus

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
1,-319 4° 1579

gus timebat, putasne defuturos fuiſſe pios homines, qvi vel in ipſo carcere, liberalitatis ſuæ ſpecimina darent? Sanè illi in qvibus accenderat Apoſtolus pietatis igniculos, haud perpeſſi fuiſſent illum exponi brumali ſævitiæ, non deerant illi, licet jam ultimis atqve lethalibus catenis vincto, fideles diſcipuli, qvi miſeriam ejus tam vili impendio levarent; iniqvi ſanè eſſemus in primorum Chriſtianorum fidem atqve pietatem ſi crederemus, illos permiſiſſe frigori exponi Apoſtolum, ad cujus pedes ſalutarem doctrinam, & ſimul præcepta de liberalitate hauſerant. Sed abſurdior adhuc eſt Jacobi Fabri Stapulenſis l.c. conjectura, qvi ideò Apoſtolum pallium ſuum petere ſomniat, ut id alicui fidelium moriturus relinqveret in ſui memoriam. Ita enim fol.170. loqvitur: *Phelonem memoriale ſui voluit alicui ante mortem relinqvere*, idem qvoqve de membranis reſpondet, cum qvæſiviſſet qvare eas Apoſtolus apportari vellet: *ut* ſcilicet *Lucæ & Marco electis à Spiritu Sancto divinis ſcribis relinqveret, ad reponendum Evangelium.* Inutiliter immoraremur huic ſententiæ refutandæ, qvam adeo abſurdam credimus, ut eam propoſuiſſe ſit eam refutaſſe.

§. VI.

Hæ ſunt rationes, qvibus moti vix probabile credidimus, in loco noſtro intelligi pænulam illam Romanam, cujus brevem deſcriptionem ſupra dedimus. Non qvidem putamus, nec à qvoqvam credi volumus, argumenta qvæ propoſuimus ad illam ſententiam dejiciendam, eſſe apodictica, ſed hoc ſaltem contendimus, non ita probabilem eam eſſe, ac illa qvæ mox exponetur: & qvidni hic argumenta probabilia ſufficiant, cum non ſit qvæſtio de articulo aliqvo fidei, ſed ubi ea de re diſceptatur, qvam & affirmare & negare ſine piaculo poſſis, præſertim cum plurimorum Theologorum conſenſum pro me habeam, & nullis ferè uſus ſim argumentis, qvæ non paſſim apud eos reperias. Nolo omnium eorum verba hîc repetere ſufficiat citaſſe Nobiliſſ. Dn. Oſiandrum, qvi in Syſt. Theol. loco I. de Sacra Scriptura pag.57. *hæc*, inqvit, *ſententia* (ſcilicet Φελόνην ſignificare pallium) *non videtur veriſimilis: Qvia* (α) *abſurdum eſt Romæ non fuiſſe, qvi ejuſmodi pænulas facerent vel venderent, ut opus fuerit,*

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
1,-319 4° 1579

rit Apoſtolo è Troade afferre; (β) maximè mirum videtur & præpoſterum, Paulum veſtem itinerariam reliqviſſe iter facturum, & eandem repetere itinere jam peracto; (γ) res hæc à Trojade afferenda non videbatur mereri operæ pretium. Qvantæ enim qvæſo diſtantia inter Romam & Trojada ſive Trojam? qvam exiguum pretium reqvirebatur ad ejuſmodi pænulam de novo conficiendam? Ex hìs & iis, qvæ antea monuimus facilè patet fruſtra eſſe, qvæ non nemo ad hunc locum commentatur: *Paulus iter æſtate facturus veſtimentum, qvod præcipue pluviæ causâ ſumebatur, pænulam videlicet, ne eſſet oneri, Troade reliqverat apud Carpum, qvam iterum inſtante hyemis tempore exſpectabat. NB. Qvocirca Timotheum precibus urget, ante hyemem venire feſtinet, (* egrediam ſcilicet rationem, cur Apoſtolus Timotheo tot milliarium iter imponat.) *pænulamq; cum libris ac membranis ad ſe perferat.* Cui opponimus ea, qvæ Weinrichius in Commentario ſuper hunc locum 2. Tim. IV. ſcribit: *Qvidam per Φαινόλην intelligunt thecam ſive capſulam librariam, in qva Paulus libros habuerit repoſitos, & hæc poſterior ſententia, ſi ſtatum Apoſtoli attendas, videtur eſſe veriſimilior, qvid enim magnopere pænulam ſive veſtem itineribus commodam affectaret Apoſtolus, cùm probè ſciret, ſibi ulterius peregrinandi ſpem planè abſciſſam eſſe.* Confer hac de re non malè diſſerentem Calvinum in Commentario ſuper 2. Timoth. IV. & alios.

§. VII.

Nec deſunt, qvi vocem Φελόνην exponunt per veſtem conſulárem, qvâ donatum eſſe Pauli Parentem, cum Tharſenſium catervâ ſtipatus Romanis cum pace & coronis obviam iret. Credo primum hanc ſententiam foviſſe Ambroſiaſtrum ſive potius Hilarium, qvi in Explanatione, (ut vocat) in Epiſt. ad Timoth. Cap. IV. 13. P. II. Opp. edit. Baſileenſis, ita commentatur: *Apoſtolus natura Judæus fuit, nec qvicqvam habuit alienum; unde ergò illi pænula, ſed qvia erat ex Tarſo, qvos conſtat in ſocietatem Romanorum receptos, ut de cætero appellarentur cives Romani, idcircò neceſſe eſt & curiam habere in qvam more Romanorum penulati conveniunt. Qvicunqve enim illo tempore cum muneribus obviam iviſſent Romanis immunitate perpetua donati,*

ti, cives Romani & fratres eorum nuncupabant &c. poteſt ergò fieri, ut ſi non ſuam, qvia totum ſe legi dederat, Patris ſui haberet penulam. Aſt tuam fidem L. B. qvamvis colligendi vis hiſce verbis ineſt? qvomodo qvæſo ſeqvitur: Apoſtolus erat nativitate Judæus, E. nil alieni habuit, totus ſe legi dederat, E. non habebat propriam veſtem. Pater ejus penula donatus erat, (concedamus hoc) E. hæc eſt illa, qvam afferri ſive vult. Nugæ! Secutus tamen eſt Ambroſiaſtrum Haymon, Epiſcopus Halberſtadienſis Comment. in h. l. poſt alia ita diſſerens. *Pater E. Pauli de Giſcalo oppido terræ promiſſæ, ubi natus fuerat, translatus eſt in Tharſum Ciliciæ. Qvodam autem tempore venientibus Romanis per Ciliciam, occurrit ipſe cum aliis Tharſenſibus utpote nobilis, exceperantqve eos cum pace. Tunc Romani conceſſerunt eis prædicta, ibiq; Pater Pauli pænulam accepit: poſt cujus mortem ob recordationem ejus, hanc veſtem Paulus ſibi retinuit.* Huc usqve ille, ſatis audacter, dummodo ſatis benè, probet enim primò omnia ea, qvæ hic verboſè recitavit, & reſpondebimus ei. Judicet interea Lector cordatus, an memoria Patris Pauli adſtricta fuerit ad pallium ejus, certè dum Haymo putat ſe aliqvam pietatem & amorem in Patrem mortuum Paulo adſcribere, hanc ei demit, nam ſanè illa pietas, ille in parentes amor nondum firmas radices egit, qvi non niſi ad conſpectum alicujus externi ſigni evigilat. Sed qvid multis hac de re, riſum magis qvàm reſponſionem meretur hæc ſententia.

§. VIII.

Prædictis Authoribus ſuffragantur ex Scriptoribus Seculi XI. Anſelmus Cantuarienſis, Comment. in 2. Timoth. 4. & Bruno Epiſcopus Herbipolenſis in expoſitione ad Epiſtol. Pauli Tom. II. edit. Pariſ. antiqvæ. Gloſſa ordinaria qvoqve hanc approbat ſententiam, aliiqve non pauci. Qvibus omnibus opponimus ea qvæ habet Benedictus Juſtinianus Genuenſis Explanationum in omnes Epiſtolas Pauli Tom. II. p, 562. qvi hic conſulatur. Dicant interea mihi hujus ſententiæ fautores, qvem in uſum hanc petat conſularem veſtem? an ut ea ſe exornet, & hoc veſtitu ſuperbiat, Abſit hoc de ſancto Apoſtolo vel cogitaſſe! num qvid igitur eum in uſum hanc petit, ut ſe eo civem Romanum oſtenderet? neqve hoc veri ſpeciem

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
1,-319 4° 1579

habet, ad aliam enim Paulus tendebat Patriam, ubi verum dignumqve civem ſe eſſe, non pallio ſed fide demonſtrandum erat. Brevi ſumenda ei erat toga, ſed mortuo, (Vide Juven. Satyr.III.) hinc illam vivus non deſiderabat. Mortem exſpectabat cruentam, qvid igitur pallio opus erat? an ut ſub hoc veſtimento pallidam mortem exciperet? ſanè qvi à gloriatione abſtinuerat antea, numqvid in extremo vitæ momento hanc vitæ integritatem immutaret? Non in id temporis inciderat Bpoſtolus, ubi civem Romanum occidere nefas putabatur, judicem habebat Neronem Leone crudeliorem. 2. Tim. IV. 15. qvi manus impias toties Romano ſangvine conſpurcaverat, à cujus ſævitia, cum ipſa innocentia eum non defenderet, qvis putet pænulam defendere potuiſſe? præſertim cum ex annalibus & albis, qvibus inſcribebantur civium Romanorum nomina, facili negotio potuiſſet cognoſci an civitate Romanâ donatus fuerit. Fruſtra hic cum Primaſio in Commentario ſuper locum noſtrum (qvem vide in Bibliotheca magna Patrum Tom. I.) inqvies: *Pænulam hanc fuiſſe ſuam non dicit Apoſtolus, potuit eam ad pedes ejus inter cætera aliqvis converſus ad fidem Chriſti poſuiſſe vendendam.* Scilicet egregia erat occupatio, atqve dignum Apoſtolo munus, togam conſularem vendere. Qvomodo hic circumſtantiæ concordant? Paulus, qvi in carcere vinctus jacebat, veſtem petit ut vendat, ſi egeret pecunia Apoſtolus, nonne id muneris potuiſſet dare Timotheo, ut Troade illam venderet, & pretium ejus ſecum afferret, ſed qvid multis hac de re dicam, adeò abſurda eſt hæc opinio, ut eam prolixe refutare ſit abuti lectoris patientiâ.

§. IX.

Inter eos, qvi pro veſtimenti genere φελόνην accipiunt, non poſtremo loco memorandi ſunt illi, qvi hîc volunt intelligi veſtem illam ſacram, qvâ Sacerdotes Sacramenta diſpenſantes cinguntur; noſtrâ lingvâ vocamus Meſſehagel / Germanicè Meßgewand / ſcil. Commentatores videntes illam difficultatem qvam ſupra movimus: indignum hoc eſſe Apoſtolo de terrenis adeò eſſe ſollicitum, veſtem hanc ſacram volunt, ut ſimul ſacrum reddant Apoſtoli deſiderium, & ut omnem nimiæ ſollicitudinis notam ab Apoſtolo tollant, veram hujus

jus

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
1,-319 4° 1579

jus vocis ſignificationem tollere non reformidant, dum enim per planetam (ita veſtis illa ſacra apud Pontificios nominatur) Φελόνην exponunt, veri fiunt πλανῆται.

§. X.

Reperit tamen hæc ſententia fautores non exiguos, præſertim eos, qvi aulæ Pontificiæ addicti ſunt: inter qvos eſt Cornelius à Lapide, qvi in Commentario ſuper hunc locum prolixè id probare conatur, pro ſua ſententia allegans Tertullianum lib. de orat. cap. XII. Eidem etiam opinioni faventem lege Sedulium Scotum, qvi in Commentario ſuper 2. Timoth. IV. (qvem vide in Bibliotheca magna PP. Tom. I.) *Pænula*, inqvit, *eſt lacerna in modum cucullæ, item lacerna ſtola, aut genus cuculæ ſubtilis.* Aſt hic iterum qværere licet, qvem in uſum veſtem hanc velit ſibi apportari? non dicent ut ea utatur in diſpenſandis Sacramentis, nam (1) non videtur mihi probabile permiſſum fuiſſe Apoſtolo, ut in carcere ſacra adminiſtraret, propter veritatem enim Evangelicam in ſqvalido jacebat carcere, num putas igitur Neronem tantam gratiam ei conceſſiſſe, ut ſigna divinæ gratiæ (exhibitiva puto) diſpenſaret? nolebat Tyrannus latius ſerpere hanc doctrinam, qvam angve pejus abominabatur, atqve exinde qvis non concluderet, illum haut permiſſurum fuiſſe publicum conventum à Pauló convocari? At videtur mihi obſtare conſvetudo priſtinæ Eccleſiæ, qva donis magnaqve ſæpius pecuniæ ſumma corrumpere conſveverant cuſtodes martyrum. Exſtant ea de re teſtimonia illuſtria; ita enim Lucianus in epiſtola de morte Peregrini: Οἱ δ' ἐν τέλει αὐτῶν καὶ συνεκάθευδον ἔνδον μετ' αὐτοῦ διαφθείροντες τοὺς δεσμοφύλακας, εἶτα δεῖπνα ποικίλα εἰσεκομίζετο, καὶ λόγοι ἱεροὶ αὐτῶν ἐλέγοντο. Qvæ verba ita interpretatur Pearſonius: *Magiſtratus autem eorum* (puta ſacris ordinibus initiati, qvi ἄρχοντες tum dicebantur) *etiam intus cum eo condormiebant, cuſtodibus corruptis: dein cœnæ variæ introducebantur, & Sacri eorum ſermones dicebantur.* Victor itidem Vitenſis de Carthaginenſibus in perſecutione Africana: *Sed populus memoratæ urbis in Domino ſemper fidelis, dato munere Carcerariis, die ac nocte Chriſti martyres freqventabat.* Idem aſſerit Tertullianus Libro de Jejuniis

 Ca-

Catholicorum, & ad Mârtyras cap.I. cujus verba hîc allegare nolumus, uti nec Cypriani, Dionyſii, aliorum, qvos citat Doctiſſimus Joh. Pearſonius Vindiciarum Epiſtolarum Sancti Ignatii Parte II. Cap.XI. pag.136.137.138. ſeq. Ut autem de hac objectione qvid ſentiam ingenue aperiam, credo (etiamſi id fieri potuiſſet) non permiſſurum fuiſſe Apoſtolum ut Chriſtiani ære corrumperent milites, & fidem eorum qvam jurejurando Imperatori deſponderant, ſollicitarent, etiamſi bonus finis hinc ſperari potuiſſet. Siqvidem non facienda ſunt mala, ut inde eveniant bona. Qvinimò, qvis ſibi perſvaderet, non arctius obſervatos fuiſſe ipſos cuſtodes, qvam ut illis licuerit tantam turbam Chriſtianorum ad captivum Paulum admittere. Sane nemini ſententiam meam obtrudo, attamen fateor plane non probabilem illam conjecturam mihi videri, qvi crudelitatem Neronis, atqve perſecutionis tum temporis exorſæ maximum fervorem conſidero. Hinc meritò dicimus. Paulus nec potuit, nec voluit, ſacra ibi adminiſtrare, non potuit per hactenus dicta, nec voluit, ut credere nos jubet ſanctitas Apoſtoli, qvid hoc enim aliud fuiſſet, qvàm Chriſtianos ideò convocare, ut notum faceret, qvinam ſint hujus doctrinæ aſſeclæ, qvo eò facilius ad ſupplicia traherentur. Noverat qvidem Apoſtolus non eſſe reformidandam mortem, qvam patimur Evangelicæ veritatis cauſa, ſed & hoc didicerat, nil eſſe niſi magnam temeritatem ſeipſum prodere, & ſupplicii capitalis periculo exponere. Non eqvidem vult DEUS disharmoniam illam externæ confeſſionis & internæ convictionis, & anathema illi dictum à Salvatore Matth.X.33. Marc.VIII.38. qvi eum abnegaret, nondum incaſſum abiit, attamen hoc non mandavit divina pagina; Eccleſiam preſſam ſeipſam debere tradere hoſtibus crucis Chriſti, vel ipſe Chriſtus fugiebat Judæos Joh. VIII. & Petrus ex carcere liberatus aliam qværit terram, ubi à Tyrannide Herodis ſecurum eſſe liceret, & verbo dixerim: detrectare non licet perſecutiones, ſed in eas temerariè ſe præcipitare, DEO adverſatur. (Egregia de prudentia tempore perſecutionis adhibenda ex antiqvitate habes in Epiſtola Eccleſiæ Smyrnenſis, qvam conſule) Hæc igitur cauſa eſt, qvare Apoſtolus noluerit ſacra in carcere adminiſtrare. Non qvidem affirmaverim

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
1,-319 4° 1579

rim adeò arctè cuſtoditum fuiſſe Paulum,ut non licuerit ei admittere amicos ſuos, hoc enim ſatis teſtatur deſiderium , qvô flagrabat conveniendi Timotheum, qvare enim deſideraſſet illum advenire , niſi permiſſum fuiſſet illum admittere? aſthoc tantum contendo, non permiſſum fuiſſe ei adminiſtrare ſacra & in magno Chriſtianorum cœtu publice prædicare Evangelium. Sed (2) etiamſi hoc voluiſſet,& poſito Apoſtolo licuiſſe ibi ſacra adminiſtrare, qvid ad hoc pœnula ſive cucullo opus erat? numqvid exterior veſtis doctrinæ veritatem aut authoritatem potuit conciliare? non legimus Apoſtolos anteqvam concionarentur aut Sacramenta diſpenſarent, primùm veſtem ſacram induiſſe. Qvânam veſte putas indutum fuiſſe Petrum, tùm cùm ad Centurionem verba faceret Act. X. qvânam cùm baptizaret Philippus. Act. VIII. in itinere erat,ubi ſacram veſtem non ad manus habebat. Ceremonia hæc tantum eſt ſingulari veſte ornari in diſpenſatione ſacrorum, qvæ nil addit nil demit ipſi Sacramento, de ceremonia autem indifferenti religioſam ſuperſtitionem facere religio nobis eſſe debet. Poterat igitur & Paulus verbum prædicare, poterat diſpenſare ſacra ſine hac veſte,& ne multa dicam de re planè aperta, Paulus nullo modo ea veſte indigebat , E. nec eam apportari voluit. Præterea ſi Moſcopulum (citatum Svicero in Theſauro ſuo pag. 1423. ex Meurſii Gloſſar. p. 597.) aliosq; paucos excipias qvi Φελόνην interpretantur, ἱερατικὸν ἔνδυμα ,vix qvemqvam Lexicographorum invenies,qvi veſtem hanc ſacram Φελόνην vocent, ſed omnes Φαιλόνιον ſive Φαινόλιον habent: ita enim Typicum Sabæ cap. XLV. p. 87. Ἀνιστάμενοι οἱ ἱερεῖς, ἀποδύονται τὰ μαυρὰ Φελόνια &c. Chryſoſtomus in Liturgia p. 71. Εἶτα λαβὼν τὸ Φαιλόνιον; plura loca habet Meurſius loco citato. Deniqve nec hoc tacendum credo,non poſſe probari ullo idoneo loco, qvod mos obtinuerit in Eccleſia Apoſtolica, ſimplici illa, veſtitu aliqvo ſingulari in adminiſtratione ſacrorum indui. Habemus qvidem teſtimonia plura ex Patribus (qvæ hic adducere non vacat) unde patet Epiſcopos qvinimò Diaconos ſingulari veſte fuiſſe indutos juxta Meurſii Gloſſar. l.c. & p. 113. in voce Δαλματική. Hoc tamen probari nullo modo poterit Apoſtolorum temporibus tales veſtes NB. cum ſacra adminiſtrarent ſacerdotes ſumſiſſe,

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
1,-319 4° 1579

ſe, cum nondum reperire mihi licuerit aliqvod teſtimonium de hoc ritu ante tempora Hieronymi. Tandem, ſi prædicaturus Apoſtolus adeo neceſſariam hanc ſibi credidit veſtem, qvomodo qvæſo eâ carere potuit, Troade Romam tendens, ſane in itinere qvoq; verbum prædicavit, Romæ etiam diligenti cura Chriſtianam religionem latius diſſeminavit ſine hac veſte, numqvid ergo demum in carcerem conjectus tantopere ea indiguit? Adde & hoc Paulum apertè teſtari 1. Cor. 17. ſe non tam ad baptizandum (& ſacramenta adminiſtranda) qvam ad prædicandum Evangelium miſſum eſſe; ſed qvis adeo abſurdus erit, ut credat ab eo evangelium ſine tali veſte prædicari non potuiſſe?

§. XI.

Supereſt, ut pauca adhuc moneam de eorum ſententia, qvi hic volunt deſignari involucrum ſive thecam aliqvam librorum, aſt illi qvi huic ſententiæ favent, aut intelligunt thecam ſine libro eamqve ligneam cum Salmerone Diſp. V. ſuper 2. Tim. IV. aut una cum libro. Si illud, non poterunt abſolvi à crimine abſurditatis; qvare enim thecam afferre curaret, nonne Romæ erant fabri lignarii, aut num ibi deficiebat lignum ex qvo illa conſtrueretur? aut qvid deniq; erat, qvapropter hanc thecam apportari vellet? Si voluit Apoſtolus eam advehi, qvare illam ſingulari modo petit, & libris contradiſtingvit, non enim eos poterat apportare Timotheus, niſi ope hujusmodi ſcrinioli. Sed ſi dicunt thecam hic intelligi talem qvâ reconditi erant libri, nobiscum ſentiunt, nec litem hîc illis movebimus, ſed potius hanc ſententiam, ambabus (qvòd ajunt) manibus amplectimur.

§. XII.

Ut deniqve ad noſtram deveniamus ſententiam, breviter ea primùm exponenda, & poſtea probationibus roboranda erit. Putamus itaqve hoc in loco noſtro 2. Tim. IV. 13 intelligi talem thecam librorum, cui incluſus fuerit liber qvidam, ſed procul dubio ſacer, qvin, (cum à cœteris libris omnibus hanc thecam diſtingvat) hic putamus deſignari talem librum, qvi præ cœteris curæ eſſet Apoſtolo, nempe ſacrum codicem Veteris Teſt. Qvam ſententiam probamus. (1.) inde, qvia nulla alia explicatio noſtræ vocis qvadrat, non enim facilè de

veſte

veſte hyemali & itineribus apta expones, nec de toga conſulari, nec de ſacra veſte ſine abſurditate interpretari eam licet; Rejectis ergò omnibus aliis ſententiis hæc ſola ſupereſt probabilis, & qvam maximè veriſimilis. (2.) Qvia optimè conveniebat Apoſtolo eſſe ſollicitum de tali libro, in qvo tradebatur vera via eò ducens, quò iter meditabatur. Cupiebat liber eſſe ab hiſce vinculis, & librum petit, ſacrum ſc. codicem ex qvo veras potuit haurire conſolationes in vinculis ſuis, poterat videre martyres illos Vet. Teſt. (Prophetas puta) qvi unà cum eo ludum illum tragicum cœperant, cujus non exigua pars futurus erat. (3.) Sic obviam itur objectionibus, qvas reperimus apud Pontificios, qvaſi hic verſus non ſit inſpiratus, qva de rê conſule Sect. Theol. III.

§. XIII.

Sed objiciunt: Si Paulus deſideraſſet Vet. Teſt. non defuturos fuiſſe, qvi hoc illi commodarent, ſuperfluum igitur eſſe, hoc ex tam diſſito loco repetere. Sed Reſp. (1.) à potentia ad actum n. v. c. (2.) non ſeqvitur, qvia Apoſtolus potuiſſet mutuò accipere alienum exemplar Bibliorum, E. ſuum non deſiderat. Non exigua cura aſſervabant veteres, Judæi pariter ac Chriſtiani exemplaria Bibliorum, ſi qvæ iis ſuppetebant, cùm enim multum in eo ſitum ſit, ut hujus libri, in cujus verba juravimus, omnes omnino voces ſint accuratè ad exemplar ἀρχέτυπον exaratæ, cavendum maximè eſt, ne qvid ſpurii intermiſceatur divino verbo, neqve palea inter triticum oſcitantium Scriptorum incuria irruat. Si qvis igitur habebat exemplar, qvod noverat bene deſcriptum, eò majori cura hoc aſſervabat. Videmus Viros doctos, qvi manu nocturna atqve diurna volvunt S. Biblia, ubi primùm memoriam localem ſibi acqviſivere in aliqvo exemplari, id non facilè mutare. Si id hodiè accidit, cum tanta memoria non reqviratur, qvanta tunc, (ubi nondum in capita & verſus diſtinctus erat ſacer codex) maximè eo tempore hujuſmodi exemplar erit neceſſarium, qvod cum Timotheo à pueris notum & familiare ſibi reddiderit. (Confer omninò Baronium ad A. C. LVIII. p. 548) Paulus itaqve Phariſæus antea (qvi ſedulo Scriptutam Sacram evolvebant) mox Pharos in doctrina Evangelica, ad pedes Ga-

malielis eruditus in lege patria Act. XXII. 3. qviqve tanto pro DEO zelo fervebat, proculdubio id fecerat, qvod tantopere in Timotheo laudat, atqve diligenti cura pervolverat ſacras paginas, qvid igitur mirum, illum eo tempore, qvo ex hoc peccaminoſi corporis carcere exitum parabat, in carcere, qvo clauſus tenebatur, deſideráſſe unicam hanc ſupellectilem, unicum theſaurum, Sacrum nempe codicem, qvem ſibi continuâ lectione familiarem reddiderat.

§. XIV.

Neqve (4) hic illa abſurditas nos premit, qvam eos incurrere, qvi vocem noſtram pro pallio accipiunt, ſuperiùs docuimus, qvare nempe omiſerit hunc Φελόνην, hanc thecam Troade, pedes enim iter metiebatur Apoſtolus, ubi moleſtia & onere librorum impediri nolebat, relinqvit ergò thecam hanc, ſive ſacrum codicem, ubi tot diſcipulos totqve doctrinæ ſuæ aſſeclas reliqverat, qvi lapidis lydii inſtar iis foret, ad qvem probarent Spiritus, an ex DEO eſſent, reliqvit S. Biblia qvoad formale externum, ſed qvoad materiale ſive ſenſum, ſecum ſemper habebat, ubicunqve ſemina verbi divini ſpargere conabatur. Primaria qvidem cauſa qvare reliqverit hanc thecam, cui incluſus deſideratus adeò liber erat, ne moleſto onere gravaretur, ſed ſimul egregiè monet Timotheum aut Carpum cœterosqve diſcipulos, ad qvam regulam dirigere debeant doctrinam atq; vitam ſuam, ad qvem Pharum cœlo exules, cœci, palantes, lucis veræ ſummiqve boni ignari ante converſionem, doctrinam ſuam examinarent, ne igne planetico atqve fatuo ſe abduci paterentur.

§. XV.

Sed poſſet qvis hic opponere (5) nos textui Ταυτολογίας vitium affingere; cum ex noſtra ὑποθέσει Paulus ita ſcribat: *Affer mihi librum theca incluſum, & libros.* Sed qvicqvid hic difficultatis eſſe videtur, Φαινομένως tale eſt; Sicut enim ille non errat, nec Tavtologus eſt, qvi ita dicit: *Affer mihi Tacitum meum & libros*, ſic multò minus Paulus in hoc loco noſtro, ſiqvidem hoc moris nobis eſt, rem, qvam ſingulari modo diligimus, etiam ſingulari appellare nomine, teſte non indigemus, cum verum hoc eſſe qvotidiana experientia ſatis clamitet. Paulus proinde ſeparat hic ſacrum codicem

à cœte-

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
1,-319 4° 1579

à cœteris libris,utpote cujus præ cœteris meminiſſe vult Timotheum. Qvinimò ut antea monuimns, probabilitatem qvandam nos inde deducere poſſumus, qvod hic ſacer codex intelligatur, qvia ejus ſeparatim meminit, ut libri præ cœteris dilectis, qvem autem librum putas Apoſtolo præ cœteris tantæ curæ fuiſſe, ac ſacrum codicem? In eadem hac epiſtola tam perſpicuè & egregiè nobis uſum S. Scripturæ tradiderat 2. Timoth. III. uſum dico oſtenderat, dum dicit eam eſſe utilem πρὸς διδασκαλίαν, πρὸς ἔλεγχον, πρὸς ἐπανόρθωσιν, πρὸς παιδείαν τὴν ἐν δικαιοσύνῃ, voluit igitur proculdubio eadem hâc epiſtola oſtendere ſuo exemplo, qvantæ curæ nobis debeat eſſe hoc fidei noſtræ θεμέλιον, voluit ſuo exemplo virtutem ſcripturæ comprobare, qvæ valeat addere affiictis ἐπανόρθωσιν, & cor exhilarare ex Pſal. XIX.

§. XVI.

Facit præ nobis *(6)* authoritas Syri Interpretis, qvi hanc vocem vertit per ܟܠܗ ܡܓܠܬܐ. Nolumus hic prolixi eſſe in aſſerenda auctoritate hujus verſionis, contendimus ſaltem, magnam ſententiæ noſtræ probalitatem, magnumqve teſtimonium inde naſci, ſiqvidem eſt vetuſtiſſima hæc verſio, eſt prima; qvin illa, qvæ (ex ore plurimorum Philologorum loqvor. Vide qvos citat Gutbier in proœmio N. T. Syriaci.) ſtatim poſt obitum Chriſti, cùm ſuperſtites adhuc eſſent viri θεόπνευστοι conſcripta eſt. Conf. Dn. D. Pfeiffer. Critic. Sacram pag. 282. §. 3. nec non Dn. D. Kortholt de Verſionibus. Non qvidem affirmamus, à DEO eſſe inſpiratam, abſit hoc dixiſſe, hoc privilegium Græcum Nov. Teſt. unicè ſibi vendicat, (qvod dictum ſit omnibus, ſive modernis ſive antiqvioribus, qvi verſionem τῶν LXX. pro avthentica venditarunt cum Joh. Morino, Joh. Voſſio pluribusqve aliis.) fontium hoc eſt non rivulorum tanto gaudere auctore, ſed teſtimoniis plurimorum Philologorum moti, credimus, hanc primam eſſe verſionem, & auſim contendere eſſe optimam omnium.

§. XVII.

Cum igitur non contemnenda ſit authoritas hujus verſionis Syriacæ, ei confidere optimè poſſumus, ubi nullam vim textui Græco

 infert,

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
1,-319 4° 1579

infert, ſed ſaltem qvæ ibi ob variantes lectiones, ob exponentium diverſitatem, dubia relinqvuntur decidit, hic etiam variantes reperis lectiones, hic magnum Commentatorum diſſenſum, en igitur medium ex hoc Labyrintho elabendi, utere hoc Ariadnes filo, & intelliges in hoc loco noſtro nil aliud deſignari, qvàm thecam, cui incluſus erat liber, aut volumen aliqvod (per meton. continentis pro contento) proculdubio ſacrum. Nemo enim, qvi Syriacam lingvam atqve ejus matrem Hebræam ſummis (qvod ajunt) labiis delibavit, dubitare poterit, qvin hic per ܒܝܬ ܣܦܪ̈ܐ intelligatur theca librorum. Tò בית enim Hebræi & Syri tam latè extendunt, ut receptaculum cujuscunq; tandem rei eo nomine veniat, ſic apud Hebræos בית אפי domus vultus audiebat, qvod nos communiter velamen dicimus, videatur Exod. cap. XXXIV. 33. apud Rabbinos qvoqve tales loqvendi formulæ in uſu fuere, ſic בית החצים pharetra, בית הרגלים calceus dicebatur. Hunc loqvendi morem imitata lingva Syriaca, ſepulchrum vocabat ܒܝܬ ܩܒܘܪܐ Matth. XXIII. 29. XXVI. 52. 60. &c. Proximè igitur per illam domum librorum nil niſi thecam librorum voluit deſignari Syrus. Sed ut nobis non infreqvens eſt nominare continens pro contento, ita & in verbis cum בית conſtructis faciebant Hebræi, ſic Esdræ VI. 1. ſumitur בית ספריא domus Archivorum, pro ipſis Archivis (Judice Buxtorfio in Lexico Chaldaico-Talmudico) ſic etiam vocabatur בית בהתתא locus pudoris, cum intelligeretur pudendum. Devt. XXV. 11. 2. Sam. X. 4. Num. XXV. 8. Præprimis autem hic tropus in familiari ſermone obtinet, ſic qvid freqventius eſt qvam petere ſcrinium, cùm res eo contentas deſideres? ipſe Salvator in ultimâ cœna vinum deſignaturus poculum nominat. Unde nemini mirum videatur, ſi ſub Φαιλόνῃ etiam librum aliqvem intelligamus.

§. XVIII.

Sed tandem eò deveniendum eſt, in qvo hujus controverſiæ cardo ferè ſolum vertitur, an nempe Græcorum illud Φαιλόνης ſive Φελόνης ſignificet thecam talem librorum. Non erimus prolixi in re

indu-

indubia, loqvatur pro nobis atqve cauſam noſtram agat Etymologicon magnum, qvod ita loqvitur: φελόνης εἰλητὸν τομάριον μεμβράϊνον, ἢ γλωσσόκομον, idem reperimus in Svida: φαιλόνης εἰλητὸν τομάριον μεμβράϊνον, ἢ χιτώνιον, cui adſtipulatur Heſychius, φαιλόνην, εἰλητάριον μεμβράϊνον, ἢ γλοσσόκομον, appellans. En Triada Teſtimoniorum, qvæ ſatis ſuperqve demonſtrant φαιλόνην tam freqventer, ne dixerim ſæpius, ſumi pro theca tali ſive involucro membranaceo, qvàm pro pallio (de φαιλόνης loqvor, qvod benè obſervatum volo.) Non enim diffitemur nos hac in re diſcedere à Philologis plerisqve, aſſerentibus voces φαινόλης & φαιλόνης ſive φελόνης easdem eſſe. Dubium hoc primò mihi movit Nobiliſſimus Bartholinus in ſæpius laudato tractatu, cujus verba talia pag.3. invenies: *Fuit cum exiſtimarem, diverſas eſſe voces φαινόλην & φαιλόνην, illam videlicet veſtem, hanc involucrum membranaceum. Poſtea mutatâ ſententia, φαινόλην ad originem ſuam rettuli.* Non qvidem putamus φαιλόνην nil notare niſi involucrum membranaceum, obſtante illo Heſychii Ἀμφινώτους χίτωνας, ἢ φελλόνας, item ſupra citato Svida, atqve omnium Græcorum P.P. teſtimoniis; ſed vice verſa φαινόλην unqvam denotare involucrum, hoc eſt qvod negamus. Utrumqve nomen, ſed ob diverſas rationes competit pallio, ὁ φαινόλης derivatur παρὰ τὸ φαίνεσθαι ὅλον, Teſte Auctore Etymologici magni, qvæ denominatio ad formam Pænulæ qvadrat, ſiqvidem adeò anguſta erat veſtis illa, ut in nullos ſinus ſe deflecteret, ſed tota appareret, confer Barth. l. c. pag.19. Aſt φαιλόνης ſeu potius φελλόνης aliam ob cauſam nomen dedit pænulæ, ſcilicet qvia pænulæ, ut ſupra monuimus, plerumqve ex ſcorto ſive vellere conficiebantur, appellarunt hoc veſtimentum φελλόνην, eodem planè modo, qvo hanc eandem veſtem Scorteam appellabant Latini. Apertè hanc differentiam indicat Etymologicon magnum, ubi enim περὶ τοῦ φαιλόνου ſive φελόνου qvæſtio eſt, dicit hanc vocem ſignificare involucrum, ſed ubi de τοῦ φαινόλου loqvitur, φαινόλης χιτὼν, inqvit, (ſc. ἐστι) & mox τὰν φαινόλαν ἀποδύσασθαι, τοῦτ' ἔστι τὸ ἱμάτιον: ſic etiam Svidas φελόνην dicit eſſe, εἰλητὸν τομάριον μεμβράϊνον, ſed φαινόλην, ῥωμαϊκὴν στολὴν appellat. Oſtendant mihi Philologi ullum exemplum,

contrarium , ubi φαινόλου nomine involucrum tale deſignatur , & corrigemus mentem. Multò igitur latius patet φαιλόνης qvàm φαινόλης , illo potuit denotari omne id, qvod ex ſcorto ſive pergamenis confectum erat, ſic dicebant φελλόνην βίβλον, volumen antiqvorum, qvod ex velleribus confectum convolvebatur, habet enim originem ſuam hæc vox ἀπὸ τοῦ φέλλου ſive φλοιοῦ Græcorum; Indicant hoc apertè loci citati Etymologici magni, & Svidæ, dum illam vocem ſignificare ajunt γλωσσόκομον μεμβραΐνον, μεμβραΐνον appellant, ut oſtendant nomen illud propterea inditum involucro; qvia ex pergamenis ſ. velleribus conficiebatur. Sed qvod φαιλόνην & φελλόνην attinet, an ſint eædem nec ne, aliis diſputandum relinqvo, meo judicio non ſunt diverſæ, & φελλόνης temporum injuria in φαιλόνης degeneravit. Cùm igitur φαινόλης nullô modo, nullo loco, nullo jure (qvantum huc usqve nobis conſtat,) involucrum aliqvod poſſit ſignificare, aut unqvam ſignificarit, qvid opus eſt dubitare, qvænam vox reperta fuerit in authentico, ſive in eo exemplari, qvod ſecutus eſt Syrus Interpres? qvomodo enim poſſent φαινόλην exponere per involucrum libri, cùm φαινόλης hoc nunqvam denotet, argumentor: Qvæcunqve vox nunqvam ſignificat involucrum, illa nec reperta eſt in authentico, ſive exemplari, ex qvo tranſtulit Syrus, ſed vox φαινόλης nunqvam ſignificat involucrum, per hactenus diſputata. Ergo &c. Sed Syrus Interpres. nos diutius æqvo detinuit, ignoſcat tamen huic vitio (ſi qvod eſt) B. L. cum hoc non exiguam lucem videatur attuliſſe ſententiæ noſtræ, poſtqvam enim probavi vocem, qvæ in authentico proculdubio reperta eſt, propriâ & maximè communi acceptione ſignificare involucrum, & ſecundariò tantùm atq; abuſivè pænulam, rectè inverto argumentum, qvod ſupra propoſuerunt qvi pro pallio pugnant, aſſerentes vocem φαιλόνης ſive φαινόλης proprie & ſæpius ſignificare togam, qvod de φαιλόνη ſive φελόνη aperte negamus, etenim ſemper primò in citatis Authoribus Græcis reperies hanc vocem explicatam per illud involucrum, & tantum appendicis inſtar adjecta eſt altera ſignificatio , nempe pallii, qvin Heſychius planè omittit hanc explicationem, & vocem noſtram ſolum exponit per involucrum libri.

§.XIX.

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
1,-319 4° 1579

§. XIX.

Sed cùm veritas ipſa ſæpius novitate ſuſpecta ſit, probandum adhuc nobis ſupereſt, hanc ſententiam non eſſe fœtum noſtri cerebri, ſed eſſe eandem, qvam magna tum Patrum tum Criticorum optimorum noſtri atqve Pontificii pariter ac Calviniani gregis approbarunt. De Patribus primo loco dicendum erit, hi cum vel Græci vel Latini ſint, ideo qvoqve ferme in binas abeunt claſſes; Græci Commentatores in epiſtolas Paulinas ſi non approbant ſententiam noſtram, certe ſemper annotant, eſſe tamen aliqvos qvi hanc foveant ſententiam. Chryſoſtomus Homil. X. ex 2. Tim. IV. p. 1010. edit Baſil. Latinæ anni 1536. *Pallium*, inqvit, *hic penulam dicit* (Apoſtolus) *alii loculos putant, in qvibus libri condebantur.* Oecumenius qvoqve Comment. in h. l. p. 280. edente Morello Pariſ. 1630. *qvidam,* dicit, *thecam ſignificari volunt, in qva libelli reponebantur.* & ſubjicit: *qvæ autem ipſi erat libellorum neceſſitas, qvi brevi ad DEUM erat migraturus certe tunc maxime opus erat; καὶ μάλιστα ἔδει ut eos fidelibus commendaret.* Neſcio igitur qva fronte Benedictus Juſtinianus Genuenſis Explanat. in Epiſtolas Tom. II. p. 562. aſſerere audeat. Oecumenium & Theodoretum noſtram ſententiam ridere, nam ut taceam Theodoretum ne vel γρῦ de hac ſententia habere, in Oecumenii verbis ego qvidem ne lynceis qvidem oculis tale qvid deprehendere potui. Græcis ſuccedat Hieronymus Latinorum omnium doctiſſimus qviqve paucis Græcorum cedit; judice Dallæo) hic binis in locis Φαιλόνου meminit, ſed id qvod uno in loco aſſerit in altero deſtruere videtur. Primus locus exſtat in qvæſtione II. ad Damaſum, ubi, *Volumen*, inqvit, *replico Hebræum, qvod Paulus juxta qvosdam Φαιλόνην dicit;* dicit qvidem *juxta qvosdam* (ſimul innuens hanc ſententiam, aut certe controverſiam de hujus vocis expoſitione tum qvoqve viguiſſe) attamen, qvantum ego qvidem intelligo, hanc ſententiam approbat, nam qvamobrem aliàs eam adduxiſſet; ſane ſi licet liberius paulo de hoc Patre cenſere; putarem plane nil ad ſcopum ejus hanc obſervationem facere, (evolvat textum, qvi ambigit!) ſed eum oſtentationis ergò tantum hanc obſervationem inſperſiſſe. Alter locus ubi Φαιλόνου meminit exſtat Dialogo III.

con-

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
1,-319 4° 1579

contra Pelagium Tom. II. OO. p. 298. ubi diverſa plane Hieronymi qvaſi facies eſt, hic enim cum Pelagio diſputat, & pio zelo qvaſi fervet, cum in qvæſtionibus ad Damaſum præprimis oſtendere conetur, qvantum in Scripturæ S. lectione & interpretatione ſit verſatus; hic omnia corradit ut adverſario ſuo noceat, ibi nil niſi ſelecta qvævis proponit: Verba Attici contra Pelagium hæc ſunt: *Putaſne Apoſtolum Paulum eo tempore qvo ſcribebat: Lacernam ſive Penulam, qvam reliqvi Troade veniens affer, ac libros ac maximè membranas, de cœleſtibus cogitaſſe myſteriis & non de his qvæ in uſu vitæ communis, vel corpori neceſſaria ſunt.* Hic Φαιλόνης ei Lacerna vel pallium & aliqvid profani eſt, ut contra Pelagium obtineat; etiam ſanctiſſimo homini ſubrepere aliqvando cogitationem de re mundanâ. Qvænam itaqve tandem erit Hieronymi mens? Sane, meo qvidem judicio, non alia fuit Hieronymi ſententia, qvam illa, qvam in qvæſtione II. ad Damaſum prodit; Facilius ſiqvidem, qvin & certius, de mente alicujus Patris conſtabit ubi θετικῶς & dogmatice, qvam ubi polemice progreditur, hic enim ſæpius Patres id, de qvo tamen aliter ſentiebant, certe dubitabant, tanqvam verum præſupponebant, ut eo fortius premerent adverſarium; Qvod idem etiam Hieronymum feciſſe qvàm maxime mihi probabile eſt. Prodit alibi Hieronymum Hieronymus, ita enim ipſe de methodo hac Patrum diſſerit Epiſtola ad Pammachum Tom. II. p. 136. A. *Dicimus plura eſſe genera dicendi, & aliud eſſe* γυμναςικῶς *ſcribere, aliud* δογματικῶς. *In priori vagam eſſe diſputationem, & adverſario reſpondentem nunc hæc, nunc illa proponere, argumentari ut libet,* NB. *aliud loqvi, aliud agere, panem, ut dicitur, oſtendere, lapidem tenere. In ſeqventi* (qvali ſtylo conſcriptæ ſunt qvæſtiones ad Damaſum) *autem aperta frons, &, ut ita dicam ingenuitas neceſſaria eſt. Aliud eſt qværere aliud definire, in altero pugnandum in altero docendum eſt, & mox ad* alios provocat Patres: *Origenes, Methodus, Euſebius, Apollinaris multis verſuum millibus ſcribunt adverſus Celſum & Porphyrium. Conſiderate qvibus argumentis, & qvam lubricis problematibus Diaboli ſpiritu contexta ſubvertant, & qvia NB. interdum coguntur loqvi, non qvod ſentiunt; ſed qvod neceſſe eſt, dicunt adverſus ea, qvæ dicunt Gentiles. &c.* (Confer alia Patrum

loca

loca apud Dallæum de Vero Uſu Patrum Cap.VI. p. 158. ſeqq.) Hæc adducere neceſſum credidi ut Hieronymum, cujus authoritas tanta eſt, nobis vindicaremus. De Cæterorum Latinorum Patrum ſuffragiis parum ſumus ſolliciti, qvorum etiam pauciſſimos habemus conſentientes. Tertullianum, Haymonem, Pſeudo-Ambroſium aliosqve in eadem hac ſectione hinc inde recenſuimus. Inter ipſos tamen Scholaſticos non defuit ſententiæ noſtræ Patronus: Thomas ſcilicet de Aqvino, qvi in Commentar. in Epiſtolas Pauli, & qvidem 2. Tim. IV. ita poſt plura ſcribit: *Penula dicitur mantica, ubi erant libri; qvod videtur* (ſc. verum) *qvia ſeqvitur: & libros.* Inter recentiores Pontificios præter *Maſſutium, Salmero* aliiqve ſententiæ noſtræ ſubſcribunt. Deſinat itaqve mirari *Julius Cæſar Bulengerus Syſtem. Opuſculorum Lib. I. de veſtibus Pontif. Epiſc. & Sac. p. 22. cap. XX.* cur Baronius nobiſcum conſentiat. *Illuſtriſſimus*, inqvit, *Baronius anno LIX. de Sancto Paulo agens*, φαιλόνιν (dic qvæſo, qvo authore φαιλόνιν per ι. legas?) *de volumine Pauli, non de pænula accipit, non video qvo authore;* Sed ut verum fatear non videtur Bulengerus Baronium ipſum evolviſſe, qvi non ad A. C. LIX. ſcilicet p. 595. Tom. I. edit. Anton. (ubi vix verbum de hoc loco habet) Sed anno LVIII. p. 547. non ſolum egregie ſuam noſtramqve ſententiam probat, ſed & plures Patres citat, atqve illam ſententiam, qvæ Bulengeri eſt p. 548. accuratè refutat. *Magis placet*, inqvit, *ut volumen ſacræ legis intelligi debeat; tum qvod Græce legatur* φαιλόνιν (pro φαιλόνην) *& non* φαινόλιον, *tum etiam qvod haud magni videretur negotii, vel impenſæ alias ſacras veſtes ejusdem generis Romæ conficere, absqve eo qvod ex Aſia eam velit per Timotheum ad ſe deferri. Non ſic qvidem de legis volumine, qvod haud facile librario deſcribendum committeretur &c.* Inter Calvinianos unicum Calvinum nominaſſe ſufficit, qvi in Commentario ſuo ad 2. Timoth. IV. nobis non parum favere videtur. Noſtratium magnum Catalogum adducere hic poſſemus, ſed qvò tot citationes? conſulat eos cui vacat; nobis ſufficit probaſſe ſententiam noſtram non eſſe plane novam.

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
1,-319 4° 1579

§. XX.

Concludimus tandem hanc Sectionem Syllogiſmo, cui omnis vis eorum, qvæ dicta ſunt pro ſtabilienda ſententia noſtra, includitur: Qvæcunqve explicatio vocis maximè freqvens eſt apud Græcos Auctores, proximè accedit ad mentem Apoſtoli, convenit circumſtantiis textus, atqve conditioni Pauli, viam præcludit objectionibus Pontificiorum & aliorum adverſariorum, Patribus deniqve qvamplurimis optimæ noſtræ, & ferè omnibus noſtratibus Theologis probatur, illa erit optima atqve probanda. Hæc noſtra ſententia, (nempe intelligi in loco illo Paulino, 2. Tim. IV. 13. involucrum libri, aut etiam volumen Vet. Teſtamenti) eſt talis. Ergo eſt optima atq; probanda. Sed ferè diutius æqvo morati ſumus in indagando verô ſenſu τȣ̃ φελόνȣ, miſſa tandem Dialectica, ubi probabilibus pugnatum eſt argumentis, accingimus nos ad id tractandum, ubi non amplius palpando inter tenebras probabilitatem qværere, ſed ipſam veritatis lucem deprehendere licebit. Sit igitur

SECTIO III.
THEOLOGICO-POLEMICA.

Ubi oſtenditur 1) plures antiqvos pariter ac modernos, uti aliis non paucis in ſcriptura contentis, ita qvoq; loco noſtro inſpirationem divinam denegaſſe, 2) momentū hujus qvæſtionis exponitur. Objectiones adverſariorum, 3) recitantur, breviter refutantur & 4) Orthodoxa ſtabilitur veritas. 5) Qværitur, an revelatio & inſpiratio ſtylo ſcripturæ coincidant, & annon etiam dici poſſit, locum noſtrum eſſe revelatum. 6) Qværitur, cum Paulus juxta noſtram hypotheſin libros petat, anne hæc librorum indigentia tacitè ſubvertat Θεοπνευςίαν.

§. I.

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
1,-319 4° 1579

§. I.

VIx unqvam majores lites in Eccleſia fuerunt, qvam circa id, qvod tamen niſi firmum ſtet, tota fides noſtra labaſcit; De Scriptura Sacra loqvor, fidei noſtræ fundamenro, qvod modo auxerunt hæretici, modo ei pro lubitu plura detraxerunt. Auxerunt, qvi Chriſto, Apoſtolis, Evangeliſtis, plura ſuppoſuerunt; Detraxerunt, qvi modo hæc modo illa inſpirata & vera eſſe negarunt; Sic ipſi Orthodoxi ſæpius pio aliqvo errore ſeducti qvædam in Evangeliis delenda eſſe crediderunt, alii enim Luc. XIX. 41. alii Cap. XX. 22. 43. 44. alii Joh. VII. 53. pluraqve alia ex Scriptura Sacra eliminanda crediderunt. De pluribus epiſtolis qvoqve non diſputatum tantum, ſed à pluribus qvoqve dubitatum eſt. Hæretici autem priorum ſeculorum absqve ulla religione in Scripturam impie plane graſſati ſunt. Marconitæ Lucam & epiſtolas Paulinas decurtarunt (Iren. adv. Hæret. Lib. III. Cap. 12.) Ἄλογοι Johannem totum rejecerunt, alii deniqve alia, & ſic Scripturam Sacram miris modis lacerarunt; Videatur hac de re poſt alios P. Simon Hiſt. Critique du N.T. paſſim; Noſtri inſtituti non eſt hæc prolixius proſeqvi.

§. II.

Potius qvid de inſpiratione Script. S. his ultimis ſeculis habitum ſit paucis exponemus. Qvidam itaqve tam arctis limitibus inſpirationem Script. Sac. circumſcripſerunt, ut nil niſi prophetias divinæ immediatæ inſpirationi tribuerent, in cæteris ſcriptores S. nec ab lapſu μνεμονευτικῷ, nec ab alio errore fuiſſe immunes ſomniantes; ita ſenſiſſe videtur Spinoſa in Tract. ſuo Theologico-Politico, (licet veſius omnem religionem ſubvertere conetur) Hugo Grotius item huic ſententiæ favit, in voto pro pace Eccleſ. (confer præprimis titulum de Canonicis ſcriptoribus) ſed cum expertus eſſet adverſarium doctiſſimum Andræam Rivetum, partim defendere partim mitigare ſententiam ſuam allaboravit *in Rivet. Apol. Diſcuſſ.* Qvamvis autem vix qvicqvam ſolidi regerere potuerit, ſententia tamen ejus ſemper reperit Fautores non paucos, inter qvos nomen profitetur nuperus qvidã Anonymus, cujus verba nobis ſiſtit author libri, cui titulus: *Sentiment de Quelques Theol. de Hollande ſur l'Hiſtoire Criti-*

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
1,-319 4° 1579

que du V.T. de P. S. Hic enim pluribus Pſalmis (p. 227.) omnibus hiſtoriis (p.231) Canticis ſacris Moſis Mariæ &c. (p.230.) inſpirationis gloriam demit, & ſcriptores ſacros non in uno loco erraſſe credit, atqve ſententiam ſuam contra P. Simon. iterum defendit, in *Defences des Sentim.de quelques Theol.&c.* Inter Calvinianos hanc ſententiam Grotii approbaſſe videtur Franciſcus Junius Lib.I. Parall. LX. Conradus Vorſtius, alii, apud Voëtium Diſp. ſelect. Part.I. p.45. memorati. Socinus qvoqve ipſe hunc errorem defendit Lib. de auth. ſcript. p.12.14. it. Prælect.Sacr. p.79. Inter Pontificios itidem hac in re nobis adverſantur: Eraſmus in annotat. ad Cap. II. & XXVII. Matthæi. Gordonus Huntlæus, Cajetanus aliiqve, (qvos citat Calovius Part.I. Syſtem. qvæſt. IV. p. 549.) Marcus Antonius de Dominis (citante Simonio Hiſt C. du Nov. Teſt. pag.296.) qvi ſimul excuſat Pontificios ſcriptores, qvi erraſſe in circumſtantiis facti ſcriptores ſacros finxerunt.

§. III.

Alii verò his omnibus longè modeſtiores, omnes res, hiſtorias circumſtantias inſpiratas concedunt, verbis divinam inſpirationem denegantes. Faciunt id ex Pontificiis aliisqve non pauci, qvos recenſent & refutant Calov. Syſtem. Theol. P. I. qvæſt.V. p. 561. ſeqq. Qvenſted Syſt.Tom.I. Cap.IV. qvæſt.IV. ſect.II. p.72. ſeq. Muſæus in introduct. in Theol. hinc inde. *Alii* deniqve verba qvoqve inſpirata concedentes puncta vocalia in Vet. Teſt. & accentus à Deo profecta negant, qvos longo ordine nominat, & poſt Buxtorffium refutat Waſmuth in Hebraiſmo ſuo reſtituto. En B. L. qvot de inſpiratione ſcripturæ S. ſint ſententiarum divortia. Orthodoxi autem has opiniones omnes rejiciunt, atqve omnes res, omnia verba, omnia puncta, omnes accentus, minimam deniqve κεραίαν Scripturæ, inſpiratam aſſerunt; nullo alio fine, qvam ut Scripturæ Sacræ authoritas immota conſervetur.

§. IV.

Sed nondum omnes circa Scripturæ θεοπνευςίαν errores recenſuimus, ſupereſt ſiqvidem adhuc alia ſententia, qvæ qvidem non negat omnia in Script. S. contenta eſſe inſpirata, nihilominus tamen

omnia

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
1,-319 4° 1579

omnia iſta, ne minimo qvidem excepto, ex Spir. S. directione profecta, aſſerit. Scil. hujus ſententiæ fautores medium qvaſi eligentes inter Lutheranorũ plerorumqve, & cœterorum, qvos jam recenſuimus utriq; contradicunt. Grotio cœterisq; ejus aſſeclis opponunt hanc theſin: *Nullum plane ne vel minimum errorem in Scripturam S. gliſcere potuiſſe*, Spiritum Sanctum enim præcaviſſe, ne ſcriptor ſacer à rei veritate alieni qvicqvam conſignaret, aut in minimis falleretur. Nobis verô hanc: *Non omnia in ſcripturis contenta ſunt divinæ immediatæ inſpirationi aut revelationi adſcribenda; ſed ſcriptores ſacri in rebus moralibus antea notis, hiſtoricis ſibi relicti ſunt, ita tamen, ut Spiritus Sanctus poſtea eorum ſcripta approbaret, & ab omni errore inter ſcribendum eos præſtaret immunes.* Sunt qvi putant hæreticos illos, qvorum meminit Hieronymus in Procemio ad Epiſt. ad Philemon. hanc ſententiam foviſſe, licet, verum ut fatear, videantur hæretici hi longius paulo grogreſſi eſſe. (Vide qvæ ea de diſputat P. Simon. Hiſt. Crit. du N.T. Cap. XXIV. p. 288. ſeqq.) Indubium tamen eſt Franc. Svarezium hanc mentem foviſſe ita enim ille Tract. de fide diſput. V. ſect. III. §. 5. *Non videtur neceſſarium ut ſemper dictentur verba hoc peculiari modo*, (qvem ſupra expoſuerat) *qvando enim author Canonicus ſcribit aliqvid, qvod ſecundum ſe humanum eſt, & ſubjacet ſenſibus, ſatis videtur, qvod ſpiritus illi ſpecialiter adſiſtat, & cuſtodiat illum ab omni errore & falſitate &c.* Qvid porro declinante ſuperiori ſeculo inter Jeſuitas & Academiam Lovanienſem atqve Duacenſem hac de re diſputatum ſit, hic annectere non injucundum forſan, ſed tamen nimis prolixum foret: Videat, qvi compendium certaminis hujus deſiderat P. Simon. l. c. p. 279. ſeqq. Deferbuit qvidem lis illa, ſed non plane tamen, Bellarminus enim eandem ſibi placuiſſe mentem L. II. de Verbo DEI cap. XV. §. *reſpondeo* prodit. *DEUS* inqvit, *author qvidem eſt omnium divinarum ſcripturarum, ſed aliter tamen adeſſe ſolitus eſt Prophetis, aliter aliis, præſertim hiſtoricis, nam Prophetis revelabat futura & ſimul aſſiſtebat, ne aliqvid falſi admiſcerent in ſcribendo, & ideò Prophetæ non habuerunt aliũ laborẽ, qvã ſcribendi vel dictandi, aliis autem ſcriptoribus Deus non ſemper revelabat ea qvæ ſcripturi erant, ſed excitabat ut ſcriberent ea qvæ viderant, vel au-*

dierant, qvorum recordabantur, & ſimul aſſiſtebat ne falſi aliqvid ſcriberent, qvæ aſſiſtentia non faciebat, ne laborent in cogitando & qværendo, qvid & qvomodo ſcripturi eſſent. Cornel. qvoqve à Lapide in Commentario ſuo in 2.Tim.III.16. eandem hanc theſin ponit atqve defendit, cujus verba, cum ipſius Commentarii omnium manu terantur, hic adducere non lubet. Seqvitur ejus ſententiam, eamqve prolixius & clarius exponit P. Simon. integro cap. XXIV. collat. cum Cap.XXV. p. 301. b. Hiſtoriæ Criticæ N.T. qvi omnino conſulatur. Deniqve reperit qvoqve hæc ſententia fautores inter noſtrates, Calixtus enim ſenior, hanc Scholaſticorum theſin ſuam qvoqve fecit. Verba ejus Part.I. Reſponſi Maledicis Theologorum Moguntinorum Vindiciis oppoſiti, §.LXXII. hæc ſunt: *Neqve enim ſcriptura dicitur divina, qvod ſingula qvæ in ea continentur divinæ peculiari revelationi imputari oporteat, ſed qvod præcipua non niſi divinæ illi peculiari revelationi debeantur. In cæteris verò, qvæ aliunde, ſive per experientiam, ſive per lumen naturæ nota, conſignandis, divina adſiſtentia & ſpiritu ita ſcriptores ſacri ſunt gubernati, ne qvidqvam ſcriberent, qvod non eſſet ex re decoro, congruo,* & §. 74. *Qvæ in ſcriptura ſupra naturam ſunt, & facultatem cognoſcendi humanam excedunt, peculiari divinæ revelationi accepta ferimus. Reliqva qvæ in ſenſus occurrunt aut aliunde nota ſunt, DEUS ſcriptoribus peculiariter non revelavit, gubernavit tamen eos per ſuam adſiſtentiam, neqvicqvam ſcriberent à vero alienum.* Qvæ mens qvantum ſit à Liberis noſtris Symbolicis aliena exponit Dn. Ægidius Strauchius in conſenſu ſuo repetito Puncto VI. p.69.70. ſeq. Atqve hæc illa theſis eſt, qvam nobis oppugnandam hac ſectione ſumſimus, duplici de cauſa 1) qvia omnes hi authores, qvos hoc §. notavimus Loco, de qvo diſputamus 2.Tim.IV.13. divinam inſpirationem denegant, ut rei notæ, hiſtoricæ, qvinimò indignæ divina inſpiratione 2) qvia ſæpius hunc locum noſtrum ad ſtabiliendam theſin hanc & evertendam orthodoxam veritatem adducunt adverſarii, de Anomæis ipſis jam olim idem retulit Hieron. procemio Comment. in Epiſt. ad Philem. T.VI.p. 211. qvi qvæſiverunt ex Orthodoxis num opus habuerit inſpiratione Paulus ad id, ut ſcriberet 2. Tim. IV. Pænulam qvam reliqvi Troade veniens affer. Qvo-

modo

modo eodem hoc loco noſtro cœteri adverſarii abutantur ex inferius dicendis clarius patebit.

§. V.

Dicis. Non magni momenti eſſe hanc controverſiam, nam dummodo concedatur in ſcriptura nil falſi occurrere, idem eſſe an dicam omnem ſcripturam eſſe inſpiratam an tantum ſcriptores à Deo ita eſſe directos ne errarent. Aſt ſane non de lanâ caprina hic litigamus, nec de verbis tantum diſceptatur, Inſpirationem enim & aſſiſtentiam illam divinam non ſyllabis tantum ſed re differre ipſi adverſarii concedunt; Qvinimò ex hac ſententia ſeqvitur diverſam eſſe ſcripturæ ſacræ authoritatem, aliam ob inſpirationem, aliam ob aſſiſtentiam, ſeqvitur inqvam, aliqvid in ſcriptura eſſe magis divinum ac alterum, magis θεῖον, magis λόγον τοῦ θεοῦ; Nam ſane id magis erit Deo adſcribendum qvod ab eo inſpiratum eſt, qvam id cui tantum (cum Dannhavvero loqvar) qvaſi poſtſpiravit. Seqvetur porro ex hac ſententia non omnem ſcripturam eſſe divinam; Dicit qvidem Cornel. à Lapide ſcripturam S. *à Deo eſſe divinam, qvia ſcribentibus eam aſtitit, ne vel in puncto à veritate aberarent*, ſecundo *qvia eos excitavit ad ſcribendum.* Sed numqvid ſcriptum aliqvod propterea viri alicujus dici poteſt, qvia ille id correxit, & præcavit ne ullus error in id gliſceret? numqvid ille qvi movet aliqvem, & excitat eum, ut hoc potius qvam illud ſcribat, propterea libri author dicitur? Sane eodem jure ego orationem aliqvam qvam proprio Marte conſcribit diſcipulus, præceptor verò cavet, ne qvem errorem in ea conſignanda committat præceptoris, non diſcipuli opus dicerem; ſic inqvam ego omnes libros, qvi juſſu & monitu Regis Galliæ prodeunt, Regios & à Rege conſcriptos dicerem. Si ideò deniqve (uti putat P. Simon) ſcriptura divina dicitur, *qvia DEUS eam approbavit*, omnes ſane libri, qvi hic imprimuntur, cum approbentur à Decano, Decani libros dicerem, & ſic verè P. Simon ſibi gratulari poſſet librum huncce ſuum eſſe, cum ſine approbatione (qvod alias apud Pontificios in uſu eſt) fuerit publicatus. Calixtus ideo ſcripturam Sacr. divinam dici autumat, *qvia ab eo proficiſcantur, qvæ ſalutem & articulos fidei fundamentales concernunt.* Aſt maxima pars Scripturæ S.

ræ S.

ræ S. continet libros hiſtoricos, numqvid ergo propter minimam partem, qvæ DEUM *verè* authorem habet, ſcriptura dicetur divina, cùm nec nos ſcripturam (qvæ nobis divina & ſacra audit) Cornelio à Lapide adſcriberemus, qvia ejus commentarii in ſcripturam majoris molis ſunt qvam ipſa ſcriptura. Vides itaqve B.L. ſcripturam juxta adverſariorum theſin non niſi abuſive poſſe dici *divinam*. Ubi itaqve variat authoritas Scripturæ ibi variare qvoqve debet fides noſtra, authoritas ſcilicet ſcripturæ, qvam habet propter inſpirationem in nobis excitabit fidem divinam, authoritas, qvam habet propter res non inſpiratas, excitabit in nobis fidem humanam; Jam autem univerſæ ſcripturæ credendum eſt fide divina. Qvantum qvæſo in theologia abſurdum eſt fidem noſtram ſe ultimato reſolvere debere in verba humana, in conceptus in humano cerebro natos? Ubi qvæſo manet illa inſita vis in moralibus (qvæ etiam inſpirata negat Corn. à Lapide) qvam ſæpius ipſi Pontificii contra Deiſtas urgent, nam ſane non omne qvod verum eſſe DEUS teſtatur, propterea eam vim habebit, ut me in ſui aſſenſum alliciat, ſed id qvod cor hominis irregeniti movere debet, ex divina virtute, qvæ ex inſpiratione oritur derivandum eſt; Verbo: non ſcripturæ alicujus veritas ſed divinitas animum noſtrum allicit, niſi concedere velimus Deiſtis, omnem rem, dummodo vera ſit, eadem vi in hominum animos pollere, qva ipſa ſcriptura, qvod ſane meo judicio eſt maximè ἀθεόλογον. Deniqve ſeqvetur, poſito verum eſſe, non omnem ſcripturam eſſe inſpiratam, potuiſſe ſcriptores ſacros in iis ubi tantum à Spiritu S. directi ſunt, conceptus ſuos non ſatis apte exprimere, qvo conceſſo nemo adverſariorum amplius aut emphaſi vocis, aut verborum claritate premi ſe permittet, regeret enim ſtatim, forſan hic ſe non ſatis commode expreſſit ſcriptor ſacer: *Excipis*, ſed huic obfuit Spiritus Sancti adſiſtentia. *Regero* Spir. S. adſiſtentia tantum ab omni errore illos præſtitit immunes, ſed ille non errat in re ipſa, qvi eam non rite exprimit, qvis infantem mentiri diceret, qvi ita rei veritatem exponit, ut divinari oporteat qvid velit. Qvò tandem erunt tot Commentarii? exponent illi verba humana, qvæqve nullo alio nomine qvam propter veritatem ſuam commendari poſſunt. Sane injurius

ſic

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
1,-319 4° 1579

ſic in ſeipſum eſt Cornel. à Lapide, qvi ſibi gloriam illam demit, qvod explicaverit DEI ipſius verba, cum ſcriptura juxta propriam hypotheſin maximam partem humana ſit. Hæc adducere neceſſarium credidimus, ne forſan qvis putaret, nos de qvæſtione litem movere, qvæ in utramqve partem diſputari poſſit, ſalvis interea cœteris theſibus Theologiæ noſtræ. Hunc proinde errorem paucis refutandum nobis ſumemus, cœteros adverſarios non niſi per horum latus confoſſuri atqve ita nos geremus, ut (1) qvid objiciunt diluamus, (2) oſtendamus hanc theſin adverſariorum omninò ſcripturæ ſacræ contrariari, & abſurda non pauca gignere.

§. VI.

Objicit 1) P. Simon bina α) theſin noſtram ſanæ rationi contrariari. *Dans cette opinion*, inqvit, *il y a je ne ſçay quoy, qui choque la raiſon & l'experience* β) nos tollere memoriam virorum ſacrorum atqve rationis uſum iis demere, *En effet*, inqvit p. 290. b. *on ne peut pas dire que le ſaint Eſprit ait ôté aux Evangeliſtes & aux Apôtres l'uſage de leur raiſon, & de leur memoire.* Sed reſpondeo (α) etiamſi rationi non illuminatæ repugnaret, qvid inde? attamen theſis adverſariorum mihi ſane magis abſurda videtur, cum enim in inſpiratione concipiam Spir. S. tantum ut dictantem ſine intermiſſione, hic cum concipere debeo, ut modo inſpirantem, modo ut relinqventem ſcriptorem ſacrum ſuis conceptibus, mox redeuntem & denuo relinqventem;, concipio inqvam eum, haud aliter ac præceptorem permittentem diſcipulum ſuum conceptus ſuos conſignare non absqve erroris periculo, ut ſcilicet habeat qvod corrigat, ſi forſan falſum narrationi ſuæ immiſcuerit. Ad (β) regero falſiſſimum hoc eſſe qvod hic aſſerit, non verò probat Simonius, ſi enim inſpiratio tollit rationis & memoriæ uſum, ſeqvitur ἀλόγους & absqve memoria fuiſſe ſcriptores ſacros cum prophetiſarent (ubi juxta Simonium fuere inſperati,) qvid autem eſt Montaniſmum ex orco revocare, ſi hoc non eſt? Spiritus S. non amentes reddit qvos movet, non rationis uſu privat, qvibus myſteria ſua revelat: Apage iſtam theſin; qvæ inſanos mihi ſiſtit ſcriptores ſacros, atqve mentis parum compotes, imò tales qvalem deſcribit Virgilius mulierem illam:

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
1,-319 4° 1579

- - - non vultus, non color unus
Non comtæ manſere comæ, ſed pectus anhelum
& rabie fera corda tument, majorqve videri
nec mortale ſonans, afflata eſt numine qvando
jam interiore DEI - - -

Objicit 2) Cornelius à Lapide l.c. *Johannes* C. XIX. 35. *expreſſe fatetur ſe ſcribere ea, qvæ viderat, non dicit ſe ſcribere, qvæ revelata erant, ſed tantum de viſione loqvitur*, tali ſyllogiſmo poteſt includi hæc objectio: *Qvic ſcribit viſa ille non ſcribit revelata, ſeu inſpirata, Scriptores S. ita, E.* repetit idem hoc P. Simon. Hiſt.Crit. du Nov. Teſt. p. 292. b. cap. XXIV. Grotius in animadverſionibus ad animadverſ. Riveti p.672. ſi Lucas, inqvit, divino afflatu durante ſua ſcripſiſſet, inde potius ſibi ſumſiſſet authoritatem, ut prophetæ faciunt, qvam à teſtibus qvorum fidem eſt ſeqvutus. Sed Reſp. (α) Egregia ſane hæc conſeqventia eſt, qvam qvotidiè amanuenſes ſive Copiſtæ (ut barbarè eos appellant) refutant, nonne enim ſæpius dictantur iis ſcribenda, qvæ jam ipſi ut oculati teſtes nôrunt, ſed qvis propterea negabit, illos ex alieno ſcripſiſſe, qvia idem illud qvod ſcribebant noverant? Toto cœlo differunt ſcribere viſa, & ſcribere ex propria viſione. Amanuenſis cui alter rem geſtam dictat, ſæpenumero viſa, non tamen ex propria viſione ſcribit, numqvid enim ἀσύςατα ſunt, noſſe rem, & tamen non ſuis ſed Spiritus S. verbis ſcribere? Qvando itaq; dicunt, ſe viſa aut à fide dignis relata ſcribere, opponunt ſe Pſeudo-Evangeliſtis, qvi non viſa, non à fide dignis relata, ſed falſa & ficta conſignabant, & idem eſt ac ſi dicant: Res qvas hic ſcribimus veras eſſe duplici patet argumento 1) qvia ipſi eas vidimus aut audivimus, 2) qvia etiamſi omnia iſta ignoraremus, tamen Spiritus S. qvi id nobis inſpiraret, falli eſſet neſcius. Fatetur tandem P. Simon. in reſponſione ad def. Theol. Holl. p.20. hæc dicta non præjudicare inſpirationi.

§. VII.

Objiciunt 3) Qvi antitheſin fovent ex Calixti loco cit. qvod ferè cum præcedenti objectione coincidit, ita: *Qvod jam antea notum eſt, id non revelatum Scriptoribus S.* Revelare enim dicit, notam face-

facere alicui rem antea incognitam, *Sed nota erant plurima Scriptoribus S. e.gr. hiſtoriæ &c. E. iis non ſunt revelata.* Eandem objectionem proculdubio in animo habet P. Simon Hiſt.Crit. du N.T.p.289. ſed (α) Reſp. tota hæc difficultas orta eſt ex diſcrimine, qvod falſo ſibi fingunt inter revelationem & inſpirationem, qvam ſententiam poſtea §.19. refutabimus (β) malè hic intellexit Calixtus revelationis vocabulum, ſi igitur æqvivocatio hujus vocabuli evolvatur, tota hæc objectio nulla erit, diſtingvendum enim inter revelationem ad ſciendum, & ſcribendum, qvando enim dicimus omnia in Scripturis revelata eſſe, non intelligimus revelationem talem, qvæ facta ſit ſcriptoribus ſacris ut illi noſcerent rem ſcribendam, ſed ut aliis ſcriberent, unde ita limitamus majorem; Q. antea notum erat ſcriptoribus ſacris, id non eſt iis revelatum *ad ſciendum*, ſubſumatur nunc, & concedamus Calixto totum argumentum, nempe plura eſſe in ſcriptura, qvæ non propterea revelata ſint ſcriptoribus ſacris, ut ea ſcirent & diſcerent, ſed ſi de revelatione ad ſcribendum vocem hanc accipiat, tum nego majorem. A negatione enim revelationis ſecundum qvid, ad negationem revelationis totalem n.v.c. Verbo: *Conceptum ac memoriam eorum, qvæ ſciebant, non iis ingeſſit Spiritus Sanctus; ſed inſpiravit, ut hunc potius qvam illum conceptum ſcriberent*, uti ipſe Cornel à Lapide l.c. loqvitu.

§. VIII.

Objiciunt 3) ex Calixti loco citato. *Qvis crederet, inſpirata eſſe ea in Scripturis, qvæ nullius momenti videntur, & qvæ nil proſunt lectori, nempe de duobus filiis, Abrahæ, de Patre Davidis, de ſerie & ſucceſſione Regum Hieroſolymæ &c. qvod Herodes fuerit Rex Judeæ, Pilatus præſes, aut qvod Timotheo ſcribit S. Paulus 2. Tim. IV.13. pænulam qvam reliqvi Troade affer ubi veneris.* Reſp. autem: Hoc nos omninò credimus, qvi fidem Scripturæ dedimus, nec qvicqvam cauſæ ſubeſſe videmus, qvare id negandum ſit. Ex iis enim qvæ dicta ſunt, forſan id colligere poſſent: E. ſcribi hæc *potuiſſe* ſine peculiari Spiritus S. aſſiſtentia, ſed à potentia ad actum n. v. c. potuiſſet qvidem, Deus ſcriptores S. relinqvere ſuo ingenio in illis, ubi res fidem & ſalutem non concernentes tradendæ erant, ſed tum tota ſcriptura non

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
1,-319 4° 1579

fuiſſet θεόπνευϛος. Deus autem noluit, ut totum illud Homogeneum Scripturæ diverſam haberet auctoritatem, aliam propter inſpirationem, aliam propter directionem. (β) Ad exempla allata brevi Reſp. 1) etſi noverant ſcriptores S. Abrahamum habuiſſe duos filios, id tamen non noverant infallibiliter, ſcripſit Moſes hanc hiſtoriam, ſed longè poſt Abrahami tempora, ubi potuiſſent multa addi & detrahi huic veritati, qvicqvid enim noverat Moſes de hac hiſtoria extra θεοπνευϛίας φορὰν, id omne hauſerat ex traditione lubrica ac fallaci. Cum itaqve potuiſſet falli, qvidnî potius credamus, Spiritum S. omnes res ei inſpiraſſe, qvam reliqviſſe eum ſuis conceptibus, & tum demum cum animadverteret ſcriptorem S. ad mendacium inclinare, eum qvaſi correxiſſe & alium conceptum inſpiraſſe. 2) Nec uſu ſuo deſtituitur hæc hiſtoria, dicit enim expreſſe Paulus Gal. IV. 24. præfiguraſſe binos hos pueros bina illa teſtamenta, qvæ uberius loco citato explicata invenire licet, nos properamus, 3) itaqve de Patre Davidis, & cœterorum Regum ordine, idem qvod ſupra regeſſimus, reſponſum habeat, conf. qvoad hæc exempla Kromayerus Loc. Anti-Syncr. Loc. I. Antith. II. p. 31. cujus verba hic exſcribere non placet. 4) Qvod hiſtoriam de Pilato attinet, argumentamur hic contra Calixtum κατ' ἄνθρωπον ita; Qvæcunqve in Symbolo Apoſtolico continentur, maximè divina ſunt, & ad Artic. Fid. fundamentales pertinent. Sed hæc hiſtoria de Pilato ita, E. Major eſt Calixti, minor indubia, E. concluſio vera, hic enim ſibi contrari videtur Calixtus, nam primò dicit Qv. in Symbolo Apoſtolico continentur, pertinent ad Art. F. fundamentales (v. Calixtus Part. I. reſp. Theol. Mogunt. oppoſ. §. 35. 42) & de iis omnibus aſſerit, eſſe divinitus inſpirata, & tamen hanc de Pilato hiſtoriam eſſe divinitus inſpiratam negat. Porro, nonne concedet Calixtus, hiſtoriam paſſionis eſſe divinitus inſpiratam? utpote qvæ maxime de ſalute & redemtione generis humani tractat, ſed hæc de Pilato continentur etiam in hiſtoria paſſionis, E. &c. Abſurdus eſſes, ſi hîc diceres, antecedentia & conſeqventia hanc enunciationem eſſe inſpirata, hanc autem ipſam non niſi divinitus directam, qvid hoc enim aliud eſſet, qvam luſum aliqvem affingere Spiritui S. qvaſi uno momento adeſſet

inſpi-

inſpirans, dirigens, & utens lingva & calamo *S*criptorum *S*. ut ſtylo velocis ſcriptoris, & altero momento illos ſibi relinqveret. Deniqve (γ) *Diſtingvo inter ea, qvæ faciunt ad cognitionis neceſſitatem, & qvæ faciunt ad cognitionis ubertatem. Licet hiſtoricæ relationes non omnes faciant ad cognitionis neceſſitatem, uti ea, qvæ fidei ſalvificæ definitionem ingrediuntur, aut immediatè ſubſtant, aut immediatè conſeqvuntur, ad ubertatem tamen cognitionis faciunt. Verbum autem DEI* πλουσίως *in nobis habitare debet Col. III. 16. ac proinde non ea tantum, qvæ cognitu ſunt extremè neceſſaria, ſed etiam qvæ notitiam rerum ſacrarum uberiorem gignunt, à nobis ſunt cognoſcenda.* Uti loqvitur Kromayer. l.c. p.31. 32.

§. IX.

Ut igitur tandem ad eam objectionem progrediamur, qvæ maximè nos ferit, qvam utpote deſumtam ex loco noſtro 2. Tim. IV. urget Calixtus loc. cit. verſui huic inſpirationem divinam denegans, putat enim Paulum non ex divina θεοπνευστία ſcripſiſſe tum, cum peteret afferi ſibi pallium ſuum, ſeu potius S. Biblia, atqve ex hoc loco argumentatur ad alia, ſi enim, inqvit, in hac levi re non actus fuit Spiritu S. etiam aliis huic ſimilibus in Scriptura inſpiratio deerit, & dabitur ſaltem ad minimum exceptio à generali illa regula: *Omnem ſcripturam eſſe* θεόπνευστον. Eodem modo argumentabantur olim Alogi (qvos intelligi ab Hieronymo dicit P. Simonius) Qvale inqviebant (teſte Hieronymo Tom. VI. Opp. p. 211. edit. Antvv.) experimentum Chriſti eſt audire: Penulam qvam reliqvi Troade apud Carpum veniens tecum affer. Sed, ut probent ſententiam ſuam, dicunt, indignum eſſe objectum divina niſpiratione, petitionem pallii, ut levis cujusdam rei & nullius momenti, tale argumentum eſſe poſſet: *Qvicqvid eſt indignum Spiritu S. id non inſpiravit, ſed petitio pallii eſt objectum indignum Spiritu S. E. non inſpirata.* Sed Reſp. (α) *Minor nondum eſt certa*, nam loqvitur de pallio, ſed in hoc loco noſtro 2. Tim. IV. 13. non intelligitur pallium, qvâ negatâ hypotheſi & refutatâ, (ut à nobis factum eſt Sectione II.) ſaltem exſpirat, qvicqvid inde poſſet contra nos oriri difficultatis, nullo enim modo indignum eſt Spiritu S. inſpirare petitionem S. Codicis. Sed (β) etiamſi

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
1,-319 4° 1579

hîc intelligatur pallium, qvid inde infertur? nullo modo hoc Spiritu Sancto indignum putamus. Qvocunqve enim non eſt indignum creare, conſervare & tueri res minimas, illo nec indignum eas memorare, ſed DEO non eſt indignum &c. E. nec eſt eo indignum eas memorare & earum mentionem in ſcriptis ſuis facere. *Valde*, inqvit Hieronymus in Procemio citato, *errant, qvi putant, cibum emere, hoſpitium præparare, veſtimenta conqvirere, eſſe pecatum, & aſſerere fugari Spiritum S* (ut ſcilicet deſinat θεοπνευςία) *ſi corpuſculi pauliſper neceſſitatibus inſerviamus.* Et mox: *Alioqvin calicem aqvæ frigidæ porrigere, pedes lavare, prandium præparare peccatum eſſet;* qvæ tamen ipſe Chriſtus fieri juſſit. (γ) Sed concedamus qvoqve, eſſe rem indignam pallium, non tamen inde ſeqvitur, E. pallii memoratio qvoqve eſt indigna Spiritu S. Absqve crimine enim maxima crimina memorare poſſum, qvidnî igitur absqve detrimento majeſtatis meminiſſe poſſet Spiritus S. harum rerum? num propterea viIeſcit anctoritas Regis, qvod de minimis rebus loqvatur? (δ) Sed tandem nullo modo indignum eſt, Spiritui *S.* tribuere hanc inſpirationem. Annon enim intererat etiam Chriſtianorum ſcire, qvam miſera fuerit Apoſtolorum conditio, qvam difficilis victus & amictus ratio, qvanta deniq; egeſtas? Qvantum ſolatii inde haurire poſſunt pauperes, ubi intelligunt, fuiſſe etiam inter eos, qvi filii DEI maximè dilecti erant, pauperes & inopes. Sed hæc reſervamus Sectioni ſeqventi. Non poſſum tamen non qvin hic adhuc qvædam de Hieron. ſubjiciam, ſcilicet ille (uti dictum eſt §.20. Sect.II.) objicit idem hoc dictum noſtrum Pelagio, unde doctiſſimi Theologi inter qvos etiam eſt author des Sentimens de quelques Theol. de Holl. p.242. Hieron. negaſſe hoc in loco Paulum divinitus fuiſſe inſpiratum colligit, Aſt, uti mihi qvidem videtur, hoc non intendit Hieronymus; intendebat enim probare, Paulum tum temporis de divinis rebus non cogitaſſe, qvod utiqve inſpirationi hujus loci nil præjudicat, non enim ſeqvitur; Paulus cogitat de rebus ad vitam communem pertinentibus. E. non fuit inſpiratus, imo fuit neceſſarium ut de iis cogitaret, niſi eum inſcium, qvid ſcriberet fuiſſe, fingere velimus.

§. X.

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
1,-319 4° 1579

§. X.

Cæterum inſtant ex hoc loco noſtro argumentando, medium terminum deſumentes ex 2. Tim. III 16. qvi tali Syllogiſmo includi poteſt: *Qvicqvid nec eſt utile ad ἐπανόρθωσιν, nec ad παιδείαν, nec ad ἔλεγχον, id non eſt inſpiratum divinitus, hoc de pallio Pauli ita E. non inſpiratum eſt divinitùs.* Sed Reſp. (α) ad *Majorem*, illam ita abſolutè poſitam non eſſe veram, ſubſumo enim, atqvi omnes literæ, puncta, accentus &c. *immediate* inutiles ſunt ad ἐπανόρθωσιν &c. E. nullæ literæ ſunt inſpiratæ, qvæ concluſio falſa, atqve hinc una ex præmiſſis vacillat, ſed non minor. E. major, qvæ igitur ita limitanda erit: Qvicqvid *nec mediatè, nec immediatè* utile eſt &c. illud non eſt inſpiratum divinitus, ſubſume nunc, & negabo minorem, nam (β) qvis niſi planè cœcus non videt, habere hanc petionem ſive pallii *ſive Codicis S.* uſum ſuum in Theologia, nonne ad παιδείαν utilis eſt? oſtendendo ad qvod remedium afflictis refugiendum ſit, ad qvodnam aſpirare debeant aſylum; poſſunt inde addiſcere, veras conſolationes, inter ipſa qvoqve vincula, non niſi ex ſacro fonte hauriendas. Elenchus etiam hîc apertus ſatis eſt contra Pontificios, qvi impio animo eripiunt hoc ſolatium Laicis, & ipſos Clericos ad rivulũ turbidũ remittunt. (Verſionem vulgatam puta) Sed de his plura ſeqventi Sectione. At enim verò (γ) etiamſi hos uſus non poſſemus oſtendere, non tamen ſeqvitur, illos his verſibus non ineſſe, & propterea nondum excidiſſemus cauſſa noſtrâ, concedamus, nobis ignotos hos uſus eſſe, nunqvid à noſtra ignorantia, ad negationem rei concludere licet? Si optimus Magiſter diſcipulos ſuos hoc latere voluiſſet, qvid tu ultra debitum ſapere geſtis? Ignoramus forſan qvare placuerit Sapientiſſimo Numini inſpirare etiam tales res, qvæ ψυχικῶ ἀνθρώπῳ videantur abjectæ, viles, nullius momenti, ſed numqvid tu diſcipulus divinum auctorem propterea criminis reum ages? agnoſce intellectus tui vitium, qvi adeò fatuus & obſcuratus eſt, ut iſta non intelligas, atqve accuſa haſce mentis tuæ nebulas, qvas ſi fieri poteſt, diſcute! hæ enim ſolæ obſtant, qvo minus uſum ejus videas. Inutilem hanc rem credis; ſed tu, qvi ægrè intelligis τὰ τοῦ θεοῦ, qvid mirum eſt, qvod in rebus divinis cœcutias?

§. XI.

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
1,-319 4° 1579

§. XI.

Finem imponeremus refutationi argumentorum, qvæ nobis objiciuntur, niſi unus adhuc reſtaret locus, qvi, ſi qvis unqvam, veri ſpeciem habet, & in qvo ſententiæ profanæ (*ita* eam appello, cum in ſcriptura nullatenus ſit fundata) aſylum reperiſſe ſibi videntur Adverſarii. Eſt autem ille 1. Cor. VII. 10. & 12. dicunt enim v. 10. Paulus teſtatur hæc non ſe dicere, ſed Dominum, unde inqviunt, apertè videtis, Paulum non omnia, ſed tantum qvædam dicere ex inſpiratione divina, qvomodo enim Paulus diceret, hæc non eſſe ſua ſed Domini, ſi qvicqvid Paulus ſcribebat, erat divinum; Qvare ſe à Domino diſtingvit, ſi divina inſpiratione gaviſus eſt? & nonne ei dicendum fuiſſet, hæc dico ego, & Dominus per me. Aſt Reſp. Duobus modis conſiderari poteſt ſacer ſcriptor, vel qvatenus extra illam θεοπνευστίας φορὰν eſt, ſive in actu ſpecificativo, vel etiam qvatenus eſt θεόπνευστος, ſive in ſtatu reduplicativo. Illo ſenſu, Paulus ut homo, extra hunc actum poſitus, nil proferre poterat, qvod aliqvam haberet vim præcepti, qvicqvid ita ſcribebat, humanum erat, humanam habens auctoritatem, aſt hoc ſenſu, qvicqvid Paulus ſcribebat, divina manu exaratum erat, in priori itaqve ſtatu ſe conſiderans Apoſtolus: *ut homo*, inqvit, *mihi relictus, nil qvod ad fidem objectivam pertinet conferre poſſum, nulla afferre præcepta valeo, uno verbo, hoc non ſcribo* αὐτοκρατορικῶς, *qvæ enim hic legitis, non mea, ſed Domini verba ſunt.* Ut itaqve objectio ipſa noſtram Orthodoxiam ſatis tueatur, & nil ex hoc loco, niſi qvod ipſos ferit, concludant. Sicut enim Chriſtus Matth. X. 20. tum, cum maximè hoc θεοπνευστίας dono exornandos eſſe diſcipulos ſuos promitteret, (dicens: *Ne putetis vos qvicqvam loqvi, non eſtis vos qvi verba facitis,*) adeo non evertit diſcipulorum θεόπνευσιν, ut potius eam ſtabiliat; Sic qvoqve hoc in loco Paulus facit. Si igitur ex Matth. X. non colligere licet, (niſi impiè Chriſto contradicere velis) diſcipulos non fuiſſe θεοπνεύστους, ſic nec ex hoc loco. Uno verbo, à negatione ſcriptionis Autocratoricæ, ad negandam θεόπνευσιν n. v. c. Invertimus itaqve potius argumentum ad ſtabiliendam Scripturæ θεοπνευστίαν. In Qvacunqve Scriptura Amanuenſibus S. ut hominibus nihil, ne vel minimum

mum tribuendum; in illa nil humani ſed ea qvantacunqve eſt, divina eſt; Sed in Scriptura S. Amanuenſibus Sacris, ut hominibus nil ne vel minimum tribuendum. E. Scriptura nullo modo humana, ſed omnia in ea contenta divina ſunt. Major enim eſt indubia; Minor ipſius Apoſtoli in loco noſtro, & Chriſti Matth. X. Ergo vera eſt Concluſio.

§. XII.

Sed ex verſu 12. fortius nos oppugnant, ubi Paulus dicit: *Hæc dico ego, non Dominus*, unde rectè ſe concludere putant: E. qvædam dantur in Scriptura S. qvorum auctores ſunt Scriptores ſacri, non acti à Spiritu Sancto. Tale forſan eſſet argumentum eorum, ſi formæ Syllogiſticæ includeretur: *Qvicunqve ſe expreſſe diſtingvit à Domino, ille non fuit* Φθεγόμενος *ab eo. Paulus in loco citato ita; E.* Sed Reſp. (α) limitando majorem ita. Qv. ſe diſtingvit à Domino præcipiente aliqvid authoritate divina is non fuit à Spiritu S. inſpiratus. Nego hanc majorem. Forſan videbor hic obſcurus, ſed exponam mentem in appendice clarius. Non poſſum non hîc obiter notare falſiſſimè ex hoc v. 25. colligere Pontificios. Sine divino mandato ſcripſiſſe S. amanuenſes; non enim dicit Paulus non habeo mandatum, ut hæc ſcribam, ſed non habeo mandatum ut qvædam hac de re definiam, poterat Paulus (ut & revera habuit) gaudere etiam hac in re mandato divino, ſcilicet ut iſta ſcriberet: & tamen dicere ſe nullum habere hac de re mandatum. Sed hæc tantùm obiter & qvaſi per tranſennam. Reſp. itaqve (β) mentem illam, qvam ei affingunt adverſarii, non eſſe Apoſtoli, qvis non videt? Argumentor enim ex hujus C. v. 40. Qvic. etiam tum cum ſcriberet, non Dominum, ſed ſe hæc dicere, habebat Spiritum *S.* ille etiam tunc fuit θεόπνευστος. Sed Paulus etiam tunc, cum hæc ſcriberet, habebat *S*piritum *S*anctum. E. etiam tunc cum ſcriberet non ſe, ſed Dominum ſcribere fuit θεόπνευστος. *Major* vix probatione indiget, cum verum hoc ſit: Qvicunqve tali modo (qvo Paulus hic ſe *S*piritum *S.* habere dicit) ejus gaudet præſentia, ille extra controverſiam θεόπνευστος eſt. Concludo enim ita ex textu, talis hîc intelligitur præſentia *S*piritus *S.* qvæ poteſt reddere ſcriptum infallibile, ſed talis

præſentia *S*piritus nulla alia eſt, qvam qvæ eſt ad θεόπνευσιν. E. nec hic alia intelligitur. Major Pro ſyllogiſmi hujus clara eſt, modo inſpiciatur textus, hoc enim volebat probare Paulus: qvæ dicebat, licet non ex ſpeciali præcepto conſignaret tamen non eſſe pro humanis habenda, & inter illa recenſenda, qvæ humanæ tantùm auctoritatis ſint, ſed nihilominus divina, *puto enim*, inqvit, *me habere Spiritum DEI.* *S*ed ad minorem prioris Syllogiſmi ut redeamus, hæc, utpote ex loco ipſo deſumta, eſt qvoqve indubia; hæc enim apertà Pauli verba ſunt, v. 40. δωκῶ δὲ κἀγὼ πνεῦμα θεοῦ ἔχειν, qvin hæc dicit mox, poſtqvam dixerat; *Se non habere mandatum divinum.* *S*ed ut omnibus exceptionibus via præcludatur, Not. (γ) Cùm Paulus dicit δωκῶ, illum non fictitiam qvandam & falſam aut imaginariam perſvaſionem intelligere, ſed veram, ſed infallibilem, unde eodem modo τὸ δοκεῖν hic intelligendum, ac intelligitur Joh. V. 39. ubi Chriſtus dicit: *Scrutamini ſcripturas*, δοκεῖτε γὰρ (non fictitiâ perſvaſione, ſed verè, & voluntati divinæ conformiter,) *vos in iis habere vitam æternam*, (δ) Paulus dicit κἀγὼ, apertè innuens, ſe talem habere ſpiritum DEI, qvalem cœteri viri θεόπνευστοι habebant, ſed illi habebant *S*piritum θεοπνευστίας E. & Paulus. Unde facilè patet: Paulum non alium intendere ſenſum, qvam v. 40. explicatum, niſi apertam hîc contradictionem admittere velis. Hæc itaq; mens eſt D. Pauli in v. 12. ſcilicet. *Hoc ego vobis ſvadeo*, non autem id præcipit Dominus, uti illud de qvo v. 12. diximus (ε) Qvin porrò ſatis patet ex v. 17. qva ratione intellectum velit hunc verſum, dicit enim ibi διατάσσομαι: ordino hoc in omnibus Eccleſiis, ſed non poterat aliqvid ordinare ſuâ & humana auctoritate, qvod regulæ inſtar eſſet Eccleſiis, aſt idem hoc, qvod ſe ordinare dicit in Eccleſiis, erat id, de qvo antea dixerat, ſe non habere mandatum. *S*icut igitur hoc non niſi divina auctoritate ordinabat, ita non niſi ex eadem ſcribebat, qvod eſt contrarium objectioni. (ζ) Qvidam inter noſtrates Theologos v. 12. *ita* exponunt, *Hoc dico ego* (ut organum Domini) *non Dominus* (immediatè) qvæ mens eſt Prückneri in Vindiciis Biblicis circa hunc locum Tom. V. p. 336. *S*ed poſſet hîc cuiqvam naſci dubium, qvare Paulus id præfigat huic conſilio ſuo, cum hîc nil dicat,

niſi

niſi qvod univerſæ *S*cripturæ *S*acræ competit, nunqvam enim De-
us, poſt illam in monte Sinai ſuo digito factam ſcriptionem, qvic-
qvam immediatè conſignavit, in cœteris omnibus Prophetis Apo-
ſtolis &c. tanqvam ſuis manibus uſus. Unde hanc argumenti ſo-
lutionem non ita urgebimus. (η) Dn. D. Qvenſtedius in Syſt. Theol.
C.IV. Sect.II. pag.77. hanc difficultatem ita tollit: *Verſu 10. vult di-
cere Apoſtolus; non eſt qvod ego dicam, JESUS dixit, hîc non opus eſt
deciſione Apoſtolica, cum ſuper eo exiſtat deciſio ipſius Domini JESU,
verba autem v.12. poſteriorem caſum indifferentem ſignificant, qvem
non deciderat Dominus JESUS; illum ſe decidere autoritate Apoſtoli-
cæ, per ſpiritum JESU.* Fateor qvidem aliqvando enallagen tem-
poris obſtare huic explicationi mihi viſam eſſe. Sed difficultas hæc
facilius ſolvitur qvam tunc credidi, ſane enim talis enallage non in-
freqvens in Scriptura V. Glaſſ. Philol. S. Lib.IV. Tr.II obſ.XX. Qvæ
explicatio optime qvoq; menti Apoſtoli convenit; Nam reſpondet du-
pliciter ad qvæſtiones ſibi objectas, primo dicendo qvid Dominus de-
finiverit, dum adhuc in terra degeret, & addendo, hoc non dixit Do-
minus cum vobiſcum degeret, ego tamen (putans me habere Spiri-
tum Dei) id vobis præcipio. Superſunt adhuc plures objectiones ad-
verſariorum, qvas cum ubiqve apud noſtrates Theologos ſolutas re-
perias, illi hîc nobis ferias fecerunt.

§. XIII.

Refutatis igitur brevi argumentis, qvibus Theſin noſtram op-
pugnant adverſarii, nil reſtat, niſi ut orthodoxam veritatem Scriptu-
ræ dictis ſtabiliamus. Probamus itaqve (א) Theſin noſtram ex 2.
Tim.III. 16. Πᾶσα γραφὴ ἐστὶν θεόπνευστος. In qvo loco Not.
(α) circa *ſubjectum*, dici πᾶσα γραφὴ, ſi igitur *omnis* Scriptura eſt
θεόπνευστος, falſo hinc qvædam excipiunt adverſarii. Si inqvam
Πᾶσα γραφὴ eſt θεόπνευστος, E. nil in Scriptura S. continetur,
qvod non ſit à DEO inſpiratum, nam ſi vel minimum in Scriptura,
non eſſet inſpiratum, ſed tantum directum, non πᾶσα Scriptura,
ſed tantum ejus pars aliqva foret θεόπνευστος. (β) circa *prædica-
tum*. Notetur: de omni Scriptura aſſerit Paulus, qvod ſit θεόπνευ-

ςος, qvod ſanè non notat gubernationem ſolam ſive directionem talem, qvalem ſomniant adverſarii. Notat enim *θεοπνευςίας* vocabulum, (ut cum B.Dannh. Hodoſ. p.34. loqvar) Spiritum S. non ſolùm ſe habuiſſe ut aſpirantem, pædagogia antecedaneâ, directrice, & erroris præcautrice, nec ut *ſub* vel *poſt* ſpirantem per conſeqvens teſtimonium, qvo pædagogus cenſet & approbat ea, qvæ diſcipulus proprio marte edidit, ſed ut *inſpirantem*. Directio enim iſta qvam ſingunt adverſarii, etiamſi reddidiſſet ſcripturam infallibilem, non tamen *θεόπνευςον*, nam majus qvid dicit *θεοπνευςία*, notat illa gratiam præſentiſſimam, concomitantem, ſuggerentem, moventem, & dirigentem, qvin adeo arctum vinculum inter ſcribentem & Spiritum S. ut verè poſſim dicere: Qvicunqve Scriptor ſacer ut *θεόπνευςος* ſcribit, hæc non tam eum, qvam Spiritum S. ſcribere, & omnia ejus verba eſſe divina. Propter hanc *θεόπνευσιν* qvoqve eſt, qvod DEUS ſæpius Codicem *S. ſuam S*cripturam appellet. e. g. מכתב אלהים Exod. XXXII. 16. ספר יהוה Eſa. XXXIV. 16. Eſt *θεόπνευσις* hæc, anima qvaſi *S*cripturæ, hanc ſi tollas, tota ejus auctoritas corruet, & ſcriptura exſucca erit, qvin ejus divina majeſtas facilè incaſſum abibit, & nil hîc nobis reliqvum erit, niſi ſcriptura humana, qvod ſtatuere piaculum nobis ſit, fuit enim Spiritus S. ut ſæpius jam dictum eſt, qvaſi pædagogus & auctor, qvi pennam duxit qvo voluit, literas exaravit qvas placuit, & pennæ concavum implevit maximis myſteriis, qvæ ſtupet natura, elegantiſſimis verbis, qvæ Ciceronis & Demoſthenis facundia ignorat. *S*ic ipſe Spiritus S. fuit dictans, & ipſe ſcribens, ipſe revelans, & ipſe revelata literis tradens. Unde etiam locum noſtrum 2.Timoth.III. 16. *ἐμφατικωτάτως* explicans Syrus interpres, *γραφὴν θεόπνευςον* vertit per ܟܠ ܟܬܒ ܕܒܪܘܚ ܐܬܟܬܒ, ut maximam vim hujus verbi aliqvatenus exprimeret. Ex dictis igitur naſcitur nobis argumentum: Qvicqvid eſt *θεόπνευςον*, ibi ſe Spiritus S. non tantùm habuit in modum dirigentis, ſub vel poſtſpirantis, ſed revelantis, dictantis, & conſignantis ſingula. Atqvi *tota* Scriptura eſt inſpirata divinitus. E. in tota Scriptura ſe habuit Spiritus *S.* ut inſpirans &c. *Major* firmo ſtat talo, per hactenus explicatum *θεοπνευςίας* ſenſum, *Minor* eſt

Pauli

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
1,-319 4° 1579

Pauli in noſtro loco, E. Concluſio indubia. Unde patet Scripturæ adverſum figmentum eſſe, & falſum Bellarmini & aliorum εὕϱημα: Spiritum S. ſe habuiſſe in qvibusdam tantum ut dirigentem, non ut revelantem ſive inſpirantem.

§. XIV.

Naſcitur nobis (ב) non exiguum ſanè argumentum pro theſi noſtra ex Pſalm. XLV. 2. Ubi David ſe dicit, *ſtylum velocis ſcriptoris*. Unde meritò argumentamur: Qvicunqve fuerunt Calamus Spiritus S. illorum Scriptura non eſt tantum divinitùs directa, ſed & inſpirata. Atqvi Scriptores S. ita E. &c. Ad *majorem* probandam urgemus Phraſin hanc, qvâ David ſe dicit, *Stylum Spiritus S.* Nam ſicut non poſſum ſine abſurditate diſcipulum qvendam vocare calamum ſui præceptoris, cum ille ſuo marte qvædam literis conſignat, à præceptore corrigenda, ſic qvoq; nullo modo poſſent dici S. Scriptores ſtylus Spiritus S. ſi ille tantùm poſtſpiraſſet, & dirigendo gubernaſſet eorum calamum, & niſi arctior fuiſſet Spiritus S. præſentia ad eos, qvàm eſt præceptoris ad ſuum diſcipulum. Poſſum qvidem amanuenſem cujusdam ejus ſcribam appellare, ſed non calamum. Unde patet Evangeliſtas, Apoſtolos, Prophetas cœleſtes ſpiritus non ſpiraſſe, divina oracula fudiſſe, cœleſtibus ſcriptis ad cœlos ambiendos rudem crudamqve generis humani maſſam excitaſſe, niſi in eos cœleſti igne Spiritus S. depluiſſet, & eorum manum in ſcribendo moviſſet, (ut loqvitur magnus Theologus Dannhauerus in Serm. Sacris Homil. XII.) Appellat David ſe calamum Spiritus S. unde id porrò ſeqvitur corollarium: Sicut penna nil contribuit ad Scripturæ alicujus ſenſum, niſi actum illum inſtrumentalem, ſic qvoqve Scriptores S. nil ad conſcribendum Canonem contuliſſe, niſi actum externum miniſterialem, qvâ propter etiam appellatur S. Scriptura non νȣ̃ς ἀνθρώπων ſed κυϱίȣ 1. Cor. II. ult. coll. Rom. XI. 34. & λόγος non hominum ſed DEI Rom. III. 2.

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
1,-319 4° 1579

§. XV.

Probamus (3) Theſin noſtram noto illo & claſſico loco 2. Petri I. 20. 21. γινώσκετε ὅτι πᾶσα προφητεία γραφῆς, ἰδίας ἐπιλύσεως οὐ γίνεται &c. in qvo dicto Not. (α) Petro contradicere Cardinalem, Calixtum &c. antitheſin foventes, dicit enim ille: πᾶσα γραφὴ οὐκ &c. id eſt *nulla prorſus* Scriptura ex humana voluntate conſcripta eſt. Si igitur nulla prorſus Scriptura proprio inſtinctu aut ex propria voluntate conſignata eſt, Scriptura univerſa qvanta eſt, erit divinitus inſpirata, conſeqventiam qvis in dubium vocabit? Si enim vel minimum verbum ab hominibus additum Scripturæ eſſet, haud potuiſſet dicere Petrus, nullam prorſus ſcripturam eſſe ab hominibus inventam, (β) dicit fuiſſe S. Scriptores φερόμενους ὑπὸ πνεύματος ἁγίου, qvod ſane amplius qvid notat, qvàm gaudere directione divina in ſcriptis ſuis, argumentor enim: Qvicunqve ſunt agitati ſive φερόμενοι à Spiritu S. illis non modo ſub & poſtſpiravit Spiritus S. ſed fuit præſentior, qvàm præceptor adeſt illi, cujus calamum regit. Sed à Spiritu S. ita agitati ſunt omnes ἅγιοι θεοῦ ἄνθρωποι E. &c. Scilicet eſſe agitatum à Spiritu S. plus dicit, qvam habere eum præſentem per modum aſſiſtentis. Qvis enim unqvam dixerit, pædagogum luſtrantem oculo ea, qvæ literis conſignat diſcipulus, diſcipulum ſuum agitare, aut hunc ab illo eſſe φερόμενον. (β) Qvando dicitur, ἐλάλησαν non id intenditur; inſpirationem reſtringendam eſſe ad ſola verba loqventium, non verò ſcribentium, nam qvi diſcipulis loqventibus inſpiravit omnia verba, ille multo magis inſpiravit ſcribentibus, qvam conſeqventiam probatam ſæpius a noſtratibus Theologis nolumus hîc repetere, dicemus breviter: Petrum hîc talem intelligere λύχνον cujus lux ſplendebit ad ultimum uſq; diem, ſed hoc non qvadrat in verbum non ſcriptum Sacrorum DEI hominum. Non dicit, fuiſſe Spiritum S. tantùm auctorem loqvelæ Prophetico-Apoſtolicæ, ſed & Propheticæ γραφῆς, eſt enim exarata Spiritu eodem Scriptura, pvo prius annunciata, neqve Spiritus Sanctus columba tantum fuit, qvæ literas benè ominoſas attulit mortalibus, ſed & allatas obſignavit, obſignatas

nobis

nobis ſervandas tradidit, ut ſui amoris æternum pignus (qvâ Phraſiologia hanc rem iterum exprimit Dannh. in Hodoſ.) (δ) Not. Petrum indefinitè dicere de λαλίᾳ S. DEI hominum, qvod ſit profecta divinitùs, non igitur tantum iis φορὰν Theopneuſtiæ tribuit in conſignandis rebus ſidei Articulos concernentibus, ſed in genere dicit locuti ſunt acti Spiritu S. ut oſtendat, tam late Theopnevſtiam, qvam eorum ſermonē ſe extendere, unde ſeqvitur Apoſtolos Prophetas &c. etiam tum cum conſignarent res hiſtoricas & alias, qvas non magni momenti putant adverſarii, fuiſſe actos à Spiritu S. Fruſtra hic (ε) excip. *Dici non de ſcriptum, ſed λόγῳ προφητικῷ, & ita adhuc ſtare eorum theſin, qvæ non deneget Prophetiis divinam inſpirationem; ſed ſaltem rebus hiſtoricis & levibus, qvalis eſt pænula Apoſtoli, hinc à Prophetia ad omnem ſcripturam non valere* c. nam Reſp. (1) omne id intelligitur in loco noſto, cui benè facimus fidem perhibentes, ſed non ſolum Prophetiis rectè fidem habemus, E. nec ſolis Prophetiis hæc divina inſpiratio competit, qvin (2) inverto argumentum & κατ᾽ ἄνθρωπον argumentor: Si omnis Sermo prophetarum eſt divinæ inſpirationis, etiam hiſtoriæ qvæ in prophetiis continentur tales erunt, ſed juxta Petrum (qvod illi concedunt) omnis à Prophetis conſignata ſcriptura eſt θεόπνευστος unde Concluſio aperta eſt, etiam hiſtorias in prophetis contentas divina θεοπνεύσι gaudere, qvod apertè ferit adverſarios.

§. XVI.

Theſin noſtram egregiè (ד) fulcit promiſſum Chriſti Johann. XVI. 3. *Spiritus meus ubi venerit* ὁδογήσει *vos in omnem veritatem.* Ubi Not. contra Bellarm. Calixtum &c. urgeri vocem ὁδηγεῖν, argumentor enim Qvic. ducit aliqvem ut dux cœcum, ille non tantum huic aſſiſtit, ſed arctiori vinculo ei junctus eſt. Aſt Spiritus S. ita duxit Scriptores S. E. &c. Hinc etiam Paulus Scripturam τὰ λόγια τοῦ θεοῦ Rom. III. 2. appellat, & iis qvoqve qvæ ipſi nota erant præfigit illud, *hoc non ego dico, ſed Dominus*, qvis enim negaret Paulo fuiſſe cognitum præceptum de non faciendo divortio, & tamen hoc ei præfigit, ſi igitur etiam ea, qvæ cognita fuere ſcriptoribus ſacris,

non

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
1,-319 4° 1579

non eorum, ſed Domini ſunt, neceſſariò ſeqvitur; etiam nota eſſe inſpirata. Adde abſurditatem illam, qvam ex ficta illa differentia inter aſſiſtentiam & inſpirationem deducit præſertim *B. Calovius in Syſtem. Tom.I.p.558.* nempe nos per hanc incertos & dubios reddi, qvid in Scriptura ſit divinitus inſpiratum, qvid non, ſi enim tantùm ea divinæ ſunt originis, qvæ ignota iis fuere, unde noſti qvid ſcriptores S. noverint qvid non? ſi ea tantum qvæ Artic. Fidei concernunt, definiant qvæſo Pontificii aut Calixtini, qvinam ſint Articuli Fidei Fundamentales, hic miserè videbis fluctuantes, & incertos qvid tandem definiant, omnes illos qvi antitheſin fovent, qvidam ex Pontificiis Aſylum qværunt apud Eccleſiam, & ab illa petunt, ut definiat qvinam ſint illi Artic. Fid. & volunt per conſeqvens ut judicet, qvidnam in Scriptura ſit divinitus inſpiratum, cum ipſa Eccleſia ex hac Scriptura ſe veram eſſe demonſtrare conetur, unde meritò Circulum illum Pontificium oſtenderunt ſæpius noſtrates Theologi, V. Scherz. Syſt. Confer Epiſcopium in Labyrintho Pontificio p. 184. Tom. I. Opp. Qvin ipſa hæc Pontificiorum & Calixtinorum theſis ſibi contradicit, dum enim ſtatuunt ea tantum inſpirata, qvæ non antea nota Scriptoribus S. erant, & tamen omnibus Articulis fidei fundamentalibus θεόπνευσιν tribūnt, inde ſeqviturScriptores S. aut non noviſſe Artic. fidei fundamentales, aut divinitus ſcripſiſſe nota, qvicqvid hic illi eligant, à cauſa cadunt, ita enim ex eorum Theſi argumentor: Qvicqvid antea notum erat ſcriptoribus ſacris, id non eſt divinitus inſpiratum, ſed omnes Art. Fid. fundamentales noti erant Scriptoribus S. Ergò Concluſio eos ipſos feriet, qvod indubio argumento eſt qvonam agitentur ſpiritu. Hinc etiam apud eos innumeras Antilogias videas, à qvo vitio ne vel ipſe aulæ Romanæ Hyperaſpiſta Bellarminus immunis eſt. Cujus theſes hac de in re valde ſe ipſos oppugnant. Videatur Bellarm. liber II. de Concil. CXII.3. §. *Obſervandum igitur.* Stat itaqve per hactenus dicta inconcuſſa veritas; nec per locum 2. Tim. IV. 13. dejicitur Scripturæ S. auctoritas, ſed verum manet qvod Auguſt. de conſenſu Evang. Cap. ult. ſcribit: *Qvicqvid Chriſtus de ſuis dictis & factis nos legere voluit, hoc ſcribendum illis* (Apoſtolis prophetis & ſcriptoribus cœteris) *tanqvam*

ſuis

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
1,-319 4° 1579

ſuis manibus imperavit. Exoſculamur hanc divinam manum, & tantum abeſt, impia mente cum Pontif. aliisqve: qvicqvam ejus divinitati ſubtrahamus, ut potius eam omnibus modis ſtabiliamus. Manet divinum, qvicqvid divinus comprehendit Codex, nil hîc qværite humani, vanitatis avidi mortales! nil profani hîc deprehendetis, profanæ mortalium mentes! En pignus divinum cui ipſius Spiritus *S.* ſigillum impreſſum! En epiſtolam cœlitus delapſam (*De illa civitate unde peregrinamur*, inqvit Auguſtinus Conc.II. in Pſal.90. *hæ literæ nobis venerunt.*) qvæ nil niſi cœleſtia divino gremio fovet, nullis hominum additamentis corrupta.

§. XVI.

Cœterùm alia ſe nobis offert difficultas, inter ipſos noſtrates Theologos ſatis agitata; *An nempe omnia, qvæ in Scriptura habentur, divinitus revelata dici poſſint? ſive clarius, an differant ſtylo Scripturæ revelatio & inſpiratio.* Anſam huic qvæſtioni tractandæ nobis dedit tum objectio adverſariorum §.4. notata, tum etiam, qvod plures loco noſtro 2.Tim.IV.13. inſpirationem tantùm divinam, non verò revelationem tribuunt, qvod placet inter alios etiam *Reineſio in Theol. Technic. L. de Script. Theſ. II.* Inter Muſæum qvoqve & Reinhardum hæc agitata eſt qvæſtio, ubi hic propter factam diſtinctionem inter revelationem & inſpirationem, illum contemptæ auctoritatis Scripturæ reum agit, à qvo ſe purgavit Muſæus in fundamentali deductione Jenenſium Theolog. Tota autem hæc difficultas facile ſolvitur per evolutionem æqvivocationis, qvæ ſub termino *revelationis* latet. Nam ſane non niſi de terminis hic qværitur, ut annotat B. Muſæus Introduct. in Theol.Part. §. pag. Nos itaqve non qværimus (α) Annon ſenſu *Philoſophico* & nobis magis uſitato revelatio ſignificet patefactionem rei ignotæ, ſed tantum loqvimur de lata vocis acceptione, & putamus ſuperfluam hanc diſtinctionem eſſe, cum Scriptura nullibi anſam nobis præbeat vel cogitandi, ſe binas has voces diſtinctas velle, unde etiam addidimus qvæſtioni: *in ſenſu Biblico* (β) qvando nos hanc theſin ponimus. *Qvicqvid in Scriptura inſpiratum divinitus, eſt etiam revelatum*, nolumus hanc

propoſitionem eſſe reciprocam, ut contra, qvicqvid in ſcriptura dicatur revelatum eſſe, ſit etiam inſpiratum, novimus enim revelationis vocabulum multò latiùs patere, qvàm inſpirationis, (ſecus ac viſum eſt viro egregriè de Republica literaria merito, Joh. Muſæo loc. cit.) qvis enim unqvã eo procedet, ut dicat omnia revelata eſſe inſpirata? Chriſtus ipſe carni & ſpiritui i.e. homini ψυχικῷ tribuit revelationẽ, Matth. XVI. ſed non propterea inſpirationem, qvin eo usqve revelationis vocabulum ſe extendit, ut ipſi revelationi ſtrictè dictæ contradiſtingvatur, ſic e.g. alteram Theologiæ naturalis partem, ſcilicet acqviſitam, revelationem dicere poſſumus, cum tamen Theologiæ revelatæ opponatur. De revelatione itaqve latius ſumtâ, & non omni, ſed ea, qvæ facta eſt ad ſcribendum affirmamus; *Coincidere eam cum inſpiratione*, idqve qvia (α) nolumus contrarii eſſe veritati & noſtratibus Theologis, qvi omnes ferè ſtatuunt, modum præſentiæ Spiritus S. ad S. Scriptores eſſe ubiqve eandem, & nullo modo diverſam, cui Theſi apertè contradicunt, qvi revelationem ab inſpiratione diſtingvunt, Qvic. enim non omnia qvæ inſpirata ſunt revelata dicit, ille diverſitatem fingit præſentiæ Spiritus S. ad S. Scriptores, conſeqventia indubia eſt, atqve ſic ex adverſariorum mente qvædam ſunt magis λόγια τȣ̃ θεȣ̃ ac qvædam. Qvin (β) & propterea qvæſtionis affirmativam tuemur, ne videamur patrocinari velle cauſæ Calixtinorum, Cornelii à Lapide &c. qvi rebus notis eripiunt primò revelationem, ſed & mox inſpirationem, eaqve tantùm divinæ directioni relinqvunt (ut in præcedentibus vidimus,) facilis qvippe ab hac opinione ad illum errorem via patet, ſi enim diverſitatem hic primò fingis, facili negotio ex hac diiſparitate tandem orietur tibi dubium, annon ea tantùm qvæ ignota fuerunt ſcriptoribus S. divina ſint, collige enim ita; Præſentia Spiritus S. ad revelationem & inſpirationem ſimul, aut eſt arctior illâ, qvæ facta eſt ad inſpirationem ſolam, aut non. Sed non dicent hoc E. illud. Si igitur inſpiratio ſine revelatione non dicit adeò arctam præſentiam Spiritus S. ac altera eſt, non difficulter inde concludes: Non omnia qvæ in ſcripturis habentur eſſe inſpirata, ſed qvædam, & inter ea locum noſtrum, in ea eſſe humana. Qvod etiam, forſan ex improviſo, acci-

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
1,-319 4° 1579

accidiſſe videmus Theologo cuidam celebri, qvi putat theſin illam Scholaſticorum, *verba Scripturæ non eſſe divinitus inſpirata, ſed tantùm directa*, nil detrahere Scripturæ authoritati, nec miramur illum eò progreſſum eſſe, nam ſanè inſpiratio non poteſt ſalva manere iis rebus, qvibus revelationem denegaſti, cum eandem definitionem, qvæ inſpirationi competit, ſine vitio poſſim tribuere revelationi ad ſcribendum, illam autem ita definit vir ille celebris. *Inſpiratio eſt interna ſuggeſtio conceptuum & infuſio, ſive res conceptæ jam anteæ notæ fuerint ſive non &c.* Sed qvid obſtat, qvominus hæc omnia de revelatione ad ſcribendum dici poſſint? nam etiamſi res notæ fuerint, reqvirebatur tamen infuſio aliorum conceptuum, qvàm qvos caro & ſangvis iis ſuppeditarat, qvi utiqve divinitùs revelandi erant. At objiciunt qvidam: *vox ἀποκάλυψις ſeu revelatio denotat ſemper rei occultæ patefactionem.* Sed Reſp. (α) Concedamus hoc, nil hinc contra nos concluditur. Collige enim: Qvicqvid ſcriptoribus ſacris notum erat antea, *id illis* non eſt patefactum, &c. & concedam totum argumentum; Sed ſi porrò argumenteris: Qvicqvid iis non eſt patefactum, id nec revelatum ad ſcribendum, negabimus eam majorem. (β) Benè notandum eſt, magnam eſſe differentiam inter hæc bina: *Noſſe aliqvam rem, & noſſe eam ſub formali ſcriptionis.* Verum qvidem eſt, cognitas fuiſſe Scriptoribus ſacris, res plures, at non cognitæ fuere iis ſub formali ſcriptionis. Benè Cornel. à Lapide loc. cit. (licet contra ſe ipſum) *Conceptum & memoriam eorum, qvæ ſciebant, non iis ingeſſit Spiritus Sanctus, ſed inſpiravit.* NB. (E. & in his non tantùm directi ſed & inſpirati ſunt) *ut hunc potius conceptum qvam illum ſcriberent.* Ut enim pædagogus diſcipulo dictans rem geſtam antea notam, hanc ei nihilominus revelat, *ſcilicet ſub formali ſcriptionis*: nota ei faciens verba & circumſtantias, ut ea hoc vel illo modô annotet, ſic qvoqve licet non rem ipſam Scriptoribus S. patefecerit, hanc tamen ipſis manifeſtavit per conceptus interius ſuggeſtos, qvos antea non habebant.

§. XX.

Una deniqve reſtat difficultas: *cur nempe libros hic petat Apoſtolus, & annon eo ipſo notet ſe iis indigere ad actum ſcripſionis,*

 unde

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
1,-319 4° 1579

unde tacitè divina inſpiratio evertatur? Sed Reſp. breviter, hoc non ſeqvitur, qvia libros ſacros petit, ergò iis indiguit ad conſcribendos libros θεοπνεύςȣς, cum multæ ſuperſint cauſæ, qvare hos libros deſiderare potuerit. Opus enim ei erat lectione ſacri codicis, per mandatum Chriſti Joh. V 39. ut conſolationem inde afflictus hauriret, qvin etiam ut poſt-meditaretur ea, qvæ *S*piritus *S.* per illum literis conſignarat. (Putamus enim, præcedentibus noſtratibus Theologis, libros qvos præter ſacrum codicem afferri deſiderat Apoſtolus, fuiſſe etiam ſacros) aliàs in θεοπνευςίας φορᾷ habebat ſe Apoſtolus ut calamus velocis Scriptoris, ubi non opus erat ut conſignanda addiſceret, cum omnia noſſet ſpiritus ille, qvô ferebatur, videlicet Apoſtoli non cum horis & moris imbibebant ſcribenda, ſed ſicut ſtatim poſt aſcenſum Chriſti deſcenſu Spiritus Sancti facti erant αὐθημερινοὶ σόφοι, ita qvicqvid ſcribebant ex aliena hauſerant ſapientia, qv d igitur ſtudio aut labore ad conſignanda ea opus erat? Dannhauerus hanc difficultatem paucis verbis, ſed non ſine magno pondere ſolvens in Hodoſoph. p. 35. ita loqvitur: *Tametſi* θεόπνευςοι *Scrutinium adhibuerint ac ſtudium in exercitio docendi, tamen ſcribendi raptus fuit ſine moleſtia.* Scilicet id vult dicere, etiamſi adhibuerint interdum ſtudium & operam in Exercitio docendi, id illos tamen non ex indigentia ſed beneplacito feciſſe. Unde facilè patet ficta eſſe, qvæ Bellarminus loco citato perhibet, nempe *Scriptores Sacros non ſine moleſtia ſcripſiſſe*, cui enim non ſubolet ſtatim qvare hoc dicat Cardinalis? nempe ut libro II. Maccabæorum, cujus Auctor de moleſtia in ſcribendo conqveritur 2. Maccab. II. v. 27. divinam auctoritatem vindicet, unde ſanè non ſolvit Objectionem Calvini contra librum Maccabæorum, nam præſupponit rem nondum probatam. Melius ad hunc locum Thomas de Aqvino Comment. in 2. Tim. IV. 13. diſſerit, qvi videatur. Sed de his ſatis ſuperqve dictum eſt.

SECT.

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
1,-319 4° 1579

Sectio IV.
THEOLOGICO-DIDACTICA.

Ubi Duplici via (pro duplici hujus vocis acceptione) calumniis Atheorum Deiſtarum &c. obviam itur & I. *ex pallio* evolvitur uſus (1) Didactus, de abjecta fidelium ſorte (2) Uſus Epanortotico-Elenchticus, contra Pontificios, veræ Eccleſiæ characterem in externa pompâ conſtituentes II. *E Sacri Codicis petitione* fluit 1) monitum ſive παιδεία de aſſidua ejus lectione 2) dehortatio à futilium ſcriptorum ſtudio, 3) Elenchus contra Pontificios, qvi hunc ſalutiferum vitæ fontem Laicis obſignant III. Concluditur Voto.

§. I.

ORdimur ultimam hujus diſputationis Sectionem ab infauſtis Atheorum Deiſtarum Empæctarum &c. nominibus, qvæ intra Eccleſiæ pomœria aut nunqvam audita, aut dudum exſtincta eſſe, ſeria, ſed proh dolor! ſera nimis pietate precamur. Paſſim enim iſta hominum propudia vigent, & tantum abeſt ut creatorem ex limpidiſſimo ſcripturæ fonte agnoſcant, ut potius in ipſa hac verbi divini luce cœcutire videantur, hinc eſt qvod ſemper in ore habeant, qvæ in Scripturis diro eorum pectori divinâ majeſtate indigna videntur, hinc eſt qvod ſtyli majeſtatem (qvæ tamen ſumma eſt) & doctrinæ genus cœleſte & incomparabile tanqvam vile ſpernant. Cui etiam abuſui locus noſter ſubjacet, ex qvo blaſphemandi anſam arripiunt, ignobile illud eſſe Numen, qvod majeſtatem ſuam ad ſordidæ veſtis curam demittere non vereatur. Certum itaqve nobis eſt, breviter

 oſten-

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
1,-319 4° 1579

oſtendere vocem φελόνην (ſive pallium ſive librum deſignet) amplam docendi, arguendi, & conſolandi materiam porrigere, ut nihil inde in majeſtatem divinam dedecoris redundet.

§. II.

Si igitur pœnulam in loco noſtro intellectam velis, huic *pallio* multos uſus involvi ſine moleſtia poſſemus oſtendere, ſed cum præter opinionem jam diſputatio hæc creverit, binis tantum (qvod ajunt) verbis notamus, *Uſum* (1) *Didacticum.* Scilicet dum pallium petit Apoſtolus, ſatis paupertatem ſuam prodit, unde nobis colligere licet, non purpuræ aut coronis commiſiſſe DEUM myſteria ſua, ſed piſcatorum ſimplicitati, non illis, qvos Deos facimus cœloqve locamus mundi magnates, ſed illis qvi ſpreti & neglecti mortalibus fuere, ut loqvitur ipſe Apoſtolus noſter 1 Cor. I. 26.28. Pauper itaqve eſt Apoſtolus, ſed qvod hic Paulo accidit, id Eccleſiæ non adeo rarum eſt, hinc videas eam inprimis ſtatim incunabulis, non multis gaudere divitiis, ſed in latebris latebras qværere, hinc non multos deprehendes Tertullianos, qvibus togam conſularem cum pallio immutare volupe eſt. *Uſus* (2) *Elenchticus* vos ferit Pontificii! qvi inter notas veræ Eccleſiæ falsò numeratis ſplendorem externum, conferamus enim Eccleſiam veſtram cum Apoſtolica, ſi qværitis ibi purpuram Cardinalium veſtrorum, oſtendet miſer Apoſtolus pallium ſuum, ſi tot magnates, qvi Epiſcoporum titulo inſigniantur, oſtendet ſe vel primus Papa veſter Petrus (ut perhibetis) retibus cinctus, externam qvandam gloriam ſi deſideratis, en vobis reſpondentem Paulum ex loco citato: *Non nobiles ſed ignobiles elegit Dominus.* Ubi igitur Eccleſiæ veſtræ vetuſta ætas falsò jactata? aut enim Eccleſia Pontificia ſimilis eſt Apoſtolicæ, aut non, ſi hoc, habeo qvod volo, ſin illud, oſtendant gloriam illam externam apud Apoſtolos. Confer hic Meiſner. de Eccleſ. Sect. V. cap. 3. p. 878. ſeq.

§. III.

Si verò de Libro S. locum noſtrum exponere placuerit, neqve hic nobis deerunt illi uſus, videamus enim (1) Παιδείαν, qvæ luce meri-

meridiana clarior eſt, ecce enim Apoſtoli exemplum, qvô ſinguli docemur, qvodnam cum iniqvà fortuna conflictantibus qværendum ſit aſylum, qvale contra Tyrannorum crudelitatem valeat ſolatium, ex qvo Gilead balſamus longè ſaluberrimus contritis pectoribus affluat. Paulus qvamvis moribundus deſiderio legendi ſacrum codicem flagrat, ô pium pii Apoſtoli votum! Diſcite hinc mortales qvid vobis ſingulari curæ eſſe debeat, qvid manu diurna & nocturna verſandum. Qvare delectamini, perdita hominum ingenia, iis, qvæ nova nobis novus orbis transmiſit? ſufficiat in hujus libri contemplatione oculos defixiſſe, qvid paleis innutriri deſideratis, triticum inſano faſtu rejicientes? Sacrum Codicem petit Apoſtolus, non librum, qvem σοφία τοῦ κόσμου τούτου peperit (qvod ad Epanortoſin refer,) ſacros deſiderat libros, non tales, qvales nunc in omnium manu videmus, qvos nominare, ne dixerim legere nefas putandum, diſcite mortales à vincto Apoſtolo, vincula atqve frena diris hiſce cupiditatibus injicere, qvare feſtinante greſſu eò properatis, unde nullus reditus? qvare ex impuris fontibus hauſtum deſideratis, ô impura pectora? qvare planetico igne ad ſyrtes & ſcopulos vos abduci patiemini? En hic Apoſtolum eâ præeuntem viâ, qvâ & vobis incedendum eſt, niſi igitur naufragium qværitis, hunc phosphorum ſectamini. Docet Apoſtolus ſuo exemplo, non eſſe negligendam Scripturæ Sacræ lectionem & (qvod (2) ad ἔλεγχον referendum) vos apertè ſatis increpat, qvi neglecto hoc divini amoris pignore, profanis dediti ſcientiis, extra ſacra Biblia ſapitis, pereant, qvascunqve humana ſapientia inſcripſit, dicam, an maculavit? paginæ, modò hic unicus liber nobis ſuperſit, negligat gallina apud Æſopum repertam margaritam, nos unicum theſaurum noſtrũ JEſum in S.Scriptura qværendo inveniemus, qvæ nobis hoc ſalutis fundamentũ proponit. Væ autem vobis, qvi τὸ ἐρευνᾶν in Scriptura negligitis, aliunde ſolamen petentes. Sed Elenchus ad Pontificios qvoq; meritò referendus eſt, qvi hoc ſolatio, (lectionem Script. puto) crudeli conſilio Laicos privant, cùm tamen ſcriptura non ſit clauſus ille fons, ex qvo tantum Regibus Perſis bibere permiſſum erat, dicunt illi myſteria DEI (ubivis divulganda) tectô ſilentiô premenda eſſe, ſed tegant ſua furta Valentini-

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
1,-319 4° 1579

ani ineptiſſimi, myſteria DEI aperiantur, ſcil. illa, qvæ literis redacta è theſauris divinæ ſapientiæ prodierunt myſteria ſalutis, æternis temporibus tacita, à clavigero Chriſto reſerata, ac in ſolatium noſtræ mortalitatis publicata (ut loqvitur Dannhauerus Homil. S. p. 249.) Et ſic verè in Pontificios qvadrat qvod Chriſtus Matth. XXIII. 13. dicit: *Ipſi cœlos negligunt, alios eô arcentes.* Confer hîc omninò Luther. Tom. II. Jenenſ. p. 463.

Nos tandem concludimus, tibiq;, ô æterne Pater luminis, æternas habemus gratias, qvod nobis de aſſiſtentia Spiritus tui loqventibus, aſſiſtentiam tuam non denegaveris. Supplici te veneramur mente, ut ſemper medios inter Ægyptios ſupereſſe jubeas, qvi in terra Goſen verbum tuum, qvâ par eſt pietate, ſuſcipiant,

A M E N.

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
1,-319 4° 1579

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
1,-319 4° 1579